

to ergo  
impe-  
& cùm  
uod di-  
od col-  
ditione,  
exspe-  
nus, te  
cipibus,  
muscui-  
ore alla-  
rgii; sed  
nil egisti.  
llum ca-  
ex cuius  
arriendo  
sponsum  
liquando  
e potuif-  
uam jam  
otuimus,  
is in BAL-  
redditam  
uod ad te  
idinas, fi  
Interea

**RESPONSIO ALTERA**  
**AD**  
**JOANNEM CALVINUM.**

11. 11. 11. 11.

11. 11. 11. 11.



JOANNES VETUS  
CAROLO LOTARINGO  
*Principi & Cardinali illustrissimo.*

Hoc anno Joannes CALVINUS & Franciscus BALDUINUS inter se contendunt, inæquali quidem jure, sed tamen non dissimili robore, nec impari lacer-torum, animorūmque contentione. Non enim CALVINO adversarius nobilior potuit exi-stere, cum quo gloriose in arenam, aciém-que descenderet; at non eidem causa levior, & iniquior subesse, ex quā pugnandi occasio-nem, ansāmque arriperet. Quid enim CAL-VINUS, aut quorsum BALDWINUM laceſſat, à quo nulla injuria, sed nec verbo quidem sit unquam violatus?

Quæritur de quodam libro, qui superiori anno in Germania est evulgatus, & pii viri, ac Reipubl. tranquillitatis studiosi titulo, ar-gumentoque donatus; cuius quidem libri BAL-

DUINUM autorem fuisse consingit. Primum quid est, quod ille liber tantopere indomitam hominis bilem concitat? Verum audito pii Viri nomine offenditur, quasi pii Viri appellationem, memoriamque de medio sublatam esse velit? An verò, quod componendorum dissidiorum ratio aliqua ab Authore perquiratur, ipse autem dissidia non placari, sed crescere, sed disseminari malit, ac propterea concordiae, pacisque arbitros, & moderatores, veluti juratos hostes oderit? Mirum verò hominis ingenium, qui tametsi hoc unum à Deo singulariter intelligit esse præceptum commendatum, ut litium modum, & mutuam inter nos ipsos gratiam appetamus, ut in eandem sententiam, benevolentiamque coeamus, conditiones nihilominus conciliandæ Ecclesiæ, atque hominum societatis negligat, refugiat, insectetur. Deinde ut liber ille nauseam male affecto ejus stomacho commoverit; an continuò in BALDUINI sinum cruda suæ iracundiæ frusta turpiter evomere nunquam intermittet?

Sed aliud est profectò, quod hominem discruciat: quod quale fuerit, videor tandem, nisi fallor, conjiciendo, & indagando assecutus. Nam quo tempore bonus nimirum Magister è suâ scholâ eos in Galliam dimiscebatur, qui dissensionum, quas toto Regno ardere cernimus, faces præferrent, eodem penè BALDUINUS è Germaniâ in Regis Navar-

ræ

ræ clientelam, multorum votis, studiisque expetitus, veniebat. Nescio, an CALVINUS à BALDUINO sibi metueret, quem plurimorum consiliorum testem, conscientque, nulli tamen culpæ affinem aliquando habuerat: certæ publicæ tranquillitatis amantem, minimeque turbulentum & antea fuisse, & perpetuo fore sciebat. Itaque illum in Galliâ minus æquo animo perferre cœpit, & non nihil etiam subvereri, ne, si á patrono suo REGE SERENISSIMO, & de motuum componendorum rationibus deliberante, atque adeò ab aliis proceribus auditus esset, ut audiri cœperat; concordiâ constituta, spes omnis explicandæ, proferendæque factionis, ipso statim initio interrupta, penitus concidisset. Hæc opinio paulò pòst quorundam, qui factioni incumbabant, literis confirmata, Magistri suspiciosi, nimiumque meticulosi exulceratum animum ita perculit, ut violentus, & furens repente ad BALDUINUM convitiis dilaniandum, intemperanti bacchantium more, æstuque præcipiti, & effrænato proruperit. Nullum, opinor, maledictum ne in flagitiosissimis (quidem lustris, & helluationibus jactari solet, quod non hic censor Theologus è suo copiæ Cornu revertit, & in viri optimi, doctissimique caput indignè, atque invidiosè contorserit.

Quid autem BALDUINUS? miratur sanè tam improvsum adversarii furorem, tanto iracun-

diæ impetu in se concitatum; & eò quidem magis miratur, quòd, cur eò tam impudens calumnia se se projecerit, nullam omnino causam suspicari, aut divinare possit. Nam neque de libro illo quidquam resciebat, nisi quòd CASSANDRUM cujusdam libri, qui tunc à plerisque legeretur, parentem fuisse accipiebat; neque aliunde abs se oblatam exercendarum inimicitiarum occasionem vel levissimam unquam fuisse sciebat. Ergo ut importuno convitiatori, quem tamen non nominabat, satisfaceret, quantà maximâ potest, vel etiam majore, quām debet, modestiâ, & continentiâ respondit, eidemque collectas ex libris Jurereconsultorum leges, quæ adversùs sceleratos calumniatores perlatæ reperiuntur, temperatè proponit, ut tandem aliquantùm territus adversarius calvere, calumniarique desuescat. Id que sperans, & propterea jam securus Lutetiam quamplurimorum Togatorum precibus, & literis accersitus, perpetuæ Jurisprudentiæ cum universâ Historiâ utilissimam, & hactenus è paucis intellectam conjunctionem profiteri cœpit. Quā in conjunctione tantam literarum omnium, & antiquitatis scientiam profert, ut minimè pigeat doctissimos curiæ summæ Patronos in Juris, & Legum studio, usque diu, & multùm versatos, tamen BALDUINO, tanquam Moloni cuidam Appollonio se se recoquendos tradere.

Qua-

Quatuor, aut quinque menses in susceptâ  
duarum difficillimarum rerum professione, as-  
siduâ operâ, & incredibili audientium applau-  
su perduxerat, cùm ecce iterum terribilia  
convitorum fulmina ex lacu Æoli, vel potius  
Vulcani Lemno advehuntur; quæ quidem ut  
BALDUINUM nihil de gradu, constantiaque de-  
jiciant, multorum tamen officiosissimorum  
Auditorum animos non mediocriter offendunt:  
qui cùm graviter ferant adversarii importuni-  
tatem, toties sínè causâ repetitam, tum verò  
Magistri sui innocentis existimationem calum-  
niis protervè appeti, & quidem interturbari  
ægerrimè patiuntur. Et cerè memini plures  
tunc ex nostro numero, id est, ex BALDUINI  
amantissimis discipulis, viros graves, & di-  
cendo, scribendóque exercitatos præstò fuisse,  
qui ejus causam ardentissimè acturi fuissent, &  
adversarii μεγαληγοίαν \*, audaciāmque refræ-  
naturi, si eorum patrocinio uti, &, ad istius  
exemplum, auxiliarios adhibere scriptores op-  
timus Doctor voluisset. Verùm ille, laudatâ  
suorum erga se voluntate, tantummodo postu-  
lavit, ut paululum sibi otii, & temporis ad  
respondendum concederent.

Itaque triduo sumpto, hanc, quæ nunc editur,  
alteram defensionem festinanter partim scripsit,  
partim dictavit: quam quia in eo æstu propè tu-  
multua-

---

\* Magniloquentiam.

multuariè effudit, & ab hoc scriptionis genere vehementer abhorret, non nullos veteres imitari instituerat, qui saepe multa scripserunt, quæ ipsi non ediderunt, & proinde *avendora*\* appellârunt. Sed ne id faceret, complures authoritate, & famâ excellentes viri intercessere; non solum BALDUINI, sed etiam Reipubl. interesse judicârunt, hanc defensionem quamprimum evulgari, ne nimium procax, & protervus adversarius sine sudore, & sanguine suos Pæanas caneret. Neque verò iisdem existimârunt, aliam esse necessariam perpolitionem hujus responsionis, quam primo calore, tanquam abortivo partu, se se acerbâ denuo provocatum, & justissimâ offensione commotum ejecisse, Authot dicebat. Nam & ipsi reputabant illud QUINTILIANI: *In maximo dolore nulla est observatio artis; sed ab Exordio usque ad ultimam vocem perpetuus quidem gemitus: Et argumentis uti licet mixtis, Et confusis.*

Quamobrem eorum rogatu non dubitavi ipse edere primam hanc, quæ in meas manus inciderat, vix licet ab Authore pertextam informationem æquissimæ querimoniæ, qualm cunque vel ab invito justus dolor exprefserat. Credo equidem, si otii plusculum nancisci, seriusquè majorum studiorum occupationibus aliquid detrahere, vel suâ Bibliothecâ,

---

\* Nondum vulgata.

thecâ, quâ eum etiamnum esse destitutum scio,  
uti potuisset, fusiùs fortasse aliquot, quòs  
non nisi obiter attigit, illustriores, & nobi-  
liores locos pertractasset, in quibus eo luben-  
tiùs institisset, ut ab homine inimico suas co-  
gitationes ad rem ipsam, quæ plus esset alla-  
tura utilitatis, planè converteret: Verùm id  
aliàs fortasse licebit.

Interea hanc BALDUINI defensionem ad Te  
referre, certis de causis visum fuit: nam Ad-  
versarius ipse Te Judicem veluti appellat, cùm  
multa affirmet, quæ non nisi tuo testimonio  
refelli possunt: & res ipsa Judicii tui vim, ad-  
mirabilemque Sapientiam necessariò flagitare  
videtur. Cui enim, quæso, hujus conten-  
tionis disceptatio potiùs debeatur, quàm Tibi,  
cujus maximum studium in Religionis cogita-  
tione, & dissidiorum conciliatione transmitti-  
tur? Quémque memoriâ tenemus dicendo,  
disputando, concionando, pertinacissimis,  
exquisitisque Adversariis palmam præemptam  
reportasse? Quod quidem vestro Illusterrimo  
Generi, & Familiæ nobilissimæ veluti pro-  
prium esse, etiam recordor. Nam & anti-  
quitatis memoriam ex Annalibus nostris repe-  
tens, & ad hæc usque tempora quàm longis-  
simè perducens, reperio vestrum Genus, &  
Nomen ad Religionis integritatem vel consti-  
tuendam, vel recuperandam à GOTTFRIDO,  
DUCE BULLONIO in multos annos fuisse  
pro-

propagatum: quem Ducem unā cum EUSTA-  
TIO, & BALDUINO, concordissimis fratribus,  
Christianorum, qui nomina in sacrum Bellum  
dederant, copiis non modò adfuisse, verùm  
etiam præfuisse, cujusque armis Sanctæ Ter-  
ræ possessionem ex Barbarorum manibus, &  
faucibus receptam fuisse, atque conservatam  
accepimus. Sed ut nunc, quod instat, aga-  
mus, en tibi BALDUINUM, CALVINI petitio-  
nibus fortiter obnitentem, quem oculis, ani-  
misque persequimur, lubenter offerimus, ut,  
Te Judice amplissimo, clarissimus Jurisconsul-  
tus cum magni nominis Theologo commis-  
sus, quanta Juris ac veritatis vis sit, osten-  
dat. Vale.

*Lutetiae Parisiorum Jdib. Jul.*

M D L X I I .



RESPON-

# RESPONSIO ALTERA.

FRANCISCI BALDUINI

A D

JOANNEM CALVINUM.



Commentarium ad *Leges de Libellis famosis*, & *de Calumniatoribus*,  
ego anno superiori, de viâ longâ defessus,  
multisque gravioribus molestiis fatigatus, ne-  
que otio minus, quâm libris meis destitutus  
in Aulico procinctu, repente, atque adeò tu-  
multuariè scribere, simul & edere coactus fui,  
cùm ex Germaniâ reversus, non modò vide-  
rem, indignis calumniis, & famosis libellis  
optimum quemque vexari: sed & incidissem  
in furiosam famosi cuiusdam convitiatoris,  
atque capitalis calumniatoris, de quo jam pri-  
dem nihil aliqui cogitaveram, declamatio-  
nem, quæ me pro alio correptum & im-  
portunè exagitabat, & crudeliter proscinde-  
bat; & verò, antequam respirâsssem, miro  
artificio jugulum petebat meum.

Ut

Ut autem gemens, & invitus ad illam necessariam defensionem mei capit is, & famæ, depulsionemque contumeliosæ injuriæ pertractus sum: sic viros bonos, & sanos, & sedatos, hoc est, omnes adversario dissimiles, gaudeo judicâsse (quod multis eorum literis confirmare possum) neque iniquam, neque intemperantem illam fuisse: atque adeò miratos esse, non fuisse vehementiorem, cùm quidem scirent, in medio præcipitis festinationis, indignationisque justissimo calore effusam esse; & meminissent (quod Lex ait) *Difficile esse iustum dolorem temperare*; simulque intelligerent, quâm indignè essem laceritus, & quâm multa tamen, quæ accusatori tam protervo debueram, potueramque verissimè objicere, honoris ejus (cujus nomini pepercí haec tenus) causâ tacerem, atque supprimerem. Etsi autem, cùm honoris naturam, & ingenium nossem, eum neque ullâ oratione placari, neque ullis Legum minis reprimi posse, ut aut deinceps quiesceret, aut peccatum, cuius erat convictus, confiteretur: imò verò non nescirem, tanquam feram, quæ cùm irretita teneatur, magis irritatur, magis, atque magis rabiem suam inflammaturum esse: tamen non invitus audiebam bonos quosdam, & simplices sponsores, qui, quia illum non noverant satiis, prolixè pollicebantur, superiori meâ admonitione repressum, fore deinde in maledicendo continentiores.

Et

Et ecce, cùm illi ita me consolarentur, terribiliori cum fremitu iterum prodit idem illius libellus famosus, in Linguam Gallicam conversus, atrocioribus etiam convitiis (ut in eâ Linguâ est ejus factionis ad maledicendum mira facundia) refertus: neque scurrilibus modò dicteriis, sed etiam repetitis ex Lenonum Geneis obscenorum scommatum flosculis comptus, simul & fulmineis anathematismis armatus, ut in vulgus sparsus, multitudinem, rerum imperitam (quam Magister jactat se solo sibilo impellere quôvis posse) in me, ut hâc arte in alios solet, concitaret. Ac quidem, qui hanc ejus recocetam fabulam vendabant, cùm de meâ responsione admonerentur, suaviter riserunt, dixerûntque se se scire satis, falso mihi impingi, quidquid Convictior affingebat, neque errore, sed dolo me pro alio peti: verùm Authorem ita agere solere, neque ullis, quas protuleram, Legibus eum teneri: imò verò Dictatori licere, quâ jure, quâ injuriâ, quos vellet proscindere. Hæc ego audiens, iterum attonitus obstupui, & potius, quâm Gallicâ vicissim responsione ad vulgus uterer, DEUM, meliorem Judicem, cum lacrimis appellavi; eoque præsidio contentus experiri volui, num silendo sedare posset patientia mea effusam iracundiam bilio-  
fi Magistri.

Itaque fatuâ nescio quâ spe propè securus, cœperam melioribus me studiis dare, & ad duas,

Q

duas, Juris Civilis, & Historiæ Universæ, Prælectiones quotidianas, in quibus essem, ut etiamnum sum, totus, sum aggressus, quò magis abs tristi conspectu funestissimarum factionum, quæ nunc tumultuantur, revo- catus, me domi continerem, meliorique con- scientiâ in literis bonis acquiescerem, & inter- ea, me cedente, in suo curriculo elatus, & triumphans in pulvere Olympico, superbis- que quadrigis invectus satiare suam ambitio- nem posset avidus hic Olympionices\*. Et ve- rò jam aliquot mensibus beatus, nihilque præ- terea metuens, placidè me illis, quas dixi, Prælectionibus addictum, abditumque inclu- feram, & cum Legibus Historiam veterem revolvens, non minus mihi consolationis, quàm Auditoribus meis utilitatis adferre vide- bar: neque non me boni consolabantur Audi- tores, qui fortasse aliquando sedebunt justissi- mi Judices earum turbarum, quas in hoc Reg- no ciet Adversarius. Ac hujus licet classica aures nostras circumsonarent; tamen aliquid otii, quietisque illum, interea dum alibi bel- lum gerit, suburbanæ nostræ Academiæ con- cessurum esse, imprudens putabam: saltem pa- surum esse, ut is, quem jam annis propè XX. jaēatum circumagit, aliquando respiret. Et ecce, ne longæ essent hæ induciæ (quod etiam mihi minaces quidam ejus emissarii de- nun-

---

\* Victor in Ludo Olympiaco.

nuntiaverant, atque prædixerant) noster bel-lator, collectis novis anathematum plaustris, iterumque in me invehitur, falcatisque veluti curribus invectus, plures etiam aurigas ad congerendum majorem maledictorum cumulum conductit, & (ne non det spem aliquam conversionis) converrit, quidquid potest fal-tum, ut nos gravissimâ oppressos calumniâ, maledicentiâque, abjectos tandem, jacentes-que videat. Quis non hâc in re furiis ági, & diabolicis eum machinationibus uti credat? Quod tamen in Theologum, qualis quidem is videri postulat, & quidem in eum Theolo-gum vix videre\* posse putem &c.

Ad te enim, mi JOANNES, venio: quid me insontem adeò premis iniquè? quid ita in me tumultuaris, baccharis, & furis siné om-ni (ut existimo, speróque) ratione? quid, in-quam, tam turpiter in Leges me commisisse ais? Enim verò quid in eas peccârim, non-dum omnino mihi sum conscius. Certè si in eas, te præsente, ingressus essem, Theolo-gus Jurisconsulto litem Finium Regundorum intenderet, vel me potius novo interdicto propelleres. Age verò, tu tuo more agere vis: cùm declamas, cùm accusas, cùm calum-niaris, non vis in jus venire; neque magis eremodicii \*\*, quam calumniæ pœnam réfor-

Q 2

midas,

\* Convenire.

\*\* Eremodicium Litis desertio est. GOVEA-NUS. Lett. var. Lib. I. cap. 39.

midas, quia Leges nostras cōtemnis. Fremis etiam, & indignaris, cūm infelix reus objecta crima, quæ pernegat, contendit, ab accusatore probari debere. Ergo quid hīc aliud possum, quām cedere? Sicuti facerem, si tu me ad duellum provocares, præsertim cūm meæ disciplinæ sit vis festucaria \* potiūs, quām illud: *Non ex jure manu conseratum &c.* \*\* Quid? cūm audiam, alterum te esse *Periclem*, qui tonando, coruscando, fulminando permiscuit Græciam; tibique etiam tribuatur illa vis *Periclis*, qui, cūm ab adversario viētus, atque prostratus erat, tamen declamando aliis persuadebat, se vicisse, adversariumque jacere prostratum: quid ego tecum verbis contendam? Et quid tandem me misérus erit, si sæpius in hoc certamen descendere cogar, ex quo etiam qui viētor discedit, non discedit nisi deterior? Ergo protestatus antea sum, quod nunc iterum dico, fugere me, quām ita tecum pugnare malle: ac si vis, iterum confiteor, me tibi non esse parem in tali arenā.

Tu jam pridem in isto pulvere maledicendi, atque declamandi exercitatus es: ego in umbrâ imbellium, civiliumque disputationum edu-

---

\* Imaginaria. HEINECCIUS in *Antiq. Rom. Lib. IV. Tit. 6. §. 24.*

\*\* GELLIUS *Noct. Attic. Lib. XX. cap. 10.*

educatus- Tu magnus, & potens populi  
 Magister es, multis & Ministris, & mancipiis  
 armatus, & Satellitibus septus, & factionum  
 Ducibus subnixus: ego Legum non tam Do-  
 ctor, quam Studiosus, nullis viribus, nullis  
 clientelis, nullis denique præfidiis munitus.  
 Tu ingeniosissimus, doctissimus, facundissi-  
 mus, clamosissimus, & quid non? ego nul-  
 lius ingenii, exiguae doctrinæ, puerilis infan-  
 tiæ. Denique tu miles veteranus, ego tyro  
 rudis. Ergo omnia tibi largior, & concedo:  
 quid me iterum laceassis? Et si me hominem  
 inermem, & imbellem, & (ut quidam nu-  
 per ex tuis Mirmillionibus dicebat) animi pro-  
 pè effeminati, vincas, frangas, prosternas,  
 proteras; quid tuæ gloriæ, quid tuis trium-  
 phis ex tali trophæo accedet? Tenes vetus illud:

..... *Nullum memorabile nomen*  
*Fæminea in pæna est, nec habet victoria laudem.*\*

Et quoniam eo Poëta delectari me gaudes,  
 & ejus (ut ais) tinnitu demulcere te cupio, ti-  
 bi illud quoque occurrat:

*Egregiam verò laudem, & spolia ampla refertis*  
*Tuque, puérque tuus, magnum, & memorabile*  
*nomen,*

*Una dolo Divum si fæmina victa duorum est.* \*\*

Q. 3

Quid

\* VIRGILIUS *Æn. Lib. II. v. 583.*

\*\* VIRGILIUS *Æn. Lib. IV. v. 93.*

Quid? si serio pedem conferre velim, & congregiar tecum, vereor, ne statim tuus Armiger rideat, cum Achille Troilum congregidi, & ejus pugnæ tabulam tui pictores venderent cum hoc ejusdem Poëtæ carmine;

*Parte aliâ fugiens amissis Troilus armis  
Infelix puer, atque impar congressus Achilli,  
Fertur equis, currûque hæret resupinus inani,  
Lora tenens tamen, huic cervixque, comæque  
trahuntur*

*Per terram, & versâ pulvis inscribitur hastâ.\**

Et vero cùm té nossem, diligenter mihi semper cavisse videbar, ne tuam bilem irritarem: nam & memineram, quod PLATO in Minoë monet, Genus irritabile Vatum non esse offendendum, aut laceendum. Audiebam, quid olim Archilochus minitans respondisset, quid HORATIUS ipse:

*Qui me commôrit . . .*

*Flebit, & in signis totâ cantabitur urbè. \*\**

Sed ut antea me ultro impetisti, cùm de te nihil cogitarem, sic nunc rursus abs te lassis, fugere, cederéque malim, quām in hanc, in quam me vel invitum trahis, arenam descen-

\* VIRGILIUS *Aen.* Lib. I. v. 478.

\*\* *Lib. II. Sat. I.* v. 45.

descendere; & potius, quam retiarius \* videar,  
 πιφαστη \*\* dici non recuso. Nam & quam  
 multi ridebunt male commissum par Gladi-  
 torum, illinc Theologi magni, & terribilis,  
 hinc Juris Studiosi timidi, minimèque pugna-  
 cis. Fortasse quosdam audirem, qui me re-  
 vocant fugientem, & adversarium, qui se in-  
 victum esse fingit, vinci posse ajunt, cum  
 priori impressione jam offenderit, & impin-  
 gens se ipsum propè dejecerit,

. . . *Et fragili cupiens illidere dentem,*  
*Infregit solido, \*\*\**

Sed nostrum dentatum sentio, iis, quibus  
 uti nolim, telis esse armatum. Scio equidem,  
 DEUM interdum velle fundâ puerili frangi istos  
 tam minaces, superbosque spiritus magnorum  
 Gygantum: sed ex Historiâ DAVIDIS lubentiùs  
 didicerim cedere tumultuanti *Sauli*, præser-  
 tim cum minimè adspirem ad illud solium,  
 quod affectas; neque etiam mihi quidquam in  
 eo juris sit. Liceat mihi modò, bonâ tuâ gra-  
 tiâ, quosdam Psalmos, quos DAVID, *Saulem*

Q 4                   fugiens

\* Retiarius alter ex Gladiatoribus dicebatur, in  
 arenâ depugnantibus, quod rete sub scuto  
 gestaret, quo adversarium suum involveret,  
 quem *Mirmillionem*, & *Gallum* appellabant.  
 JUVENALIS.

\*\* Clypeum abjicientem, seu ignavum.

\*\*\* *Cit. Sat. I. v. 75.*

fugiens, ad DEUM conversus, cecinit, gemendo canere, iisque nos consolari, quibus ille animum obfirmavit suum adversus tot aerumnas, tam importunam crudelitatem invidiae, tot infidias calumniæ, tot spicula linguae venenatæ. Neque tamen propterea minùs tibi, siquid precando tibi prodeesse possimus, bene precari desinemus. Imò verò si qua nobis esset vel lyra, vel cithara, quam exemplo DAVIDIS, possemus aut sedare, aut lenire maniam furentis adversarii, nullum nobis antiquius carmen esset.

Olim tuus CAJUS GRACHUS, cùm ad populum concionaretur, post se habebat puerum musicum, qui eburneâ fistulâ leniter revocabat nimis concitatos impetus concionantis Tribuni Plebis: sed nos tam musici non sumus, quam non sumus Medici: & tu tam melancholiâ tuâ delectaris, ut, si monitores eam discutiant, exclamaturus sis, quod ille apud HORATIUM:

. . . . . *Pol me occidistis, amici,  
Non servastis.* \*

Egidem nihil ferre faciliùs possum, quam ut me conspuas, si bilem tuam vomendo sanare possis; ut abs te audirem istud CICERONIS: *χολὴν ἀργατὸν cievi* \*\*, statim ita sum levatus, ut mibi Deus aliquis medicinam fecisse videatur

---

\* HORATIUS Lib. II. Epist. 2. v. 138.

\*\* Bilem impotentem.

deatur \*; Sed vereor, ne, si non cogaris reforbere tuum vomitum, biliosi istius humoris, quo redundas, fons uberior ebulliat: neque tamen ullam aut curationem, aut medicinam polliceri tibi possum: nam & fortasse incurabilis morbus est ambitio, incitata gloriæ stimulis, & ultiōis dirâ cupiditate.

Denique me deterret quædam tua confessio. Meministi, si vis, quid olim ad BUCE-RUM tuum scripseris, cùm agnosceres, te graviter ab illo esse reprehensum, quòd ex vanis (verba hæc tua sunt) suspicionibus extemplo in fratrum odium prorumperes, & non ferendâ intemperie ebullires. Scribebas, te ab illo judicari maledicendi morbo infectum, impiè audacem, falsum accusatorem, rabidum, fraticidam, & quid non? Cùm veniam peteres, hæc adjiciebas: *Ut verum fatear nulla mihi cum maximis, & plurimis meis vitiis diffici-  
lior luēta, quam cum istâ impatientiâ; neque cer-  
te nihil proficio: sed nondum id sum consecutus,  
ut talem belluam plane domuerim.* Hæc, inquam, tuæ fuit ingenuitatis plena confessio. Alii nunc judicabunt, ecquid luētando in hoc genere profeceris tot deinde annis, quibus de Regeneratione, de Mortificatione, de Pâtienciâ diceris sœpe esse concionatus; &, quod in Galatis, qui cùm spiritales esse cœpissent, facti deinde sunt carnales, PAULUS \*\* notat, an

Q 5

te

\* Lib. XIV. Epist. 7.

\*\* Ad Gal. C. 3. V. 3.

te quoque involvat, æstimabunt. Sed si illa tua bellua, non jam dico minimè domita, sed potius efferata magis, nunc impotentiùs furit, non dicam, quid vel de homine Gentis Domitiæ, vel de tuis concionibus, vel de naturâ tuâ judicaturi alii sint: verùm obsecro, quæ tandem spes est, abs aliis, nedum abs me, posse monendo leniri talem ferociam? Ita est sané, mi JOANNES: nihil agimus, nisi si DEUS istos animos tam tumidos contundat, & Spiritus ille cælestis, fera corda domans, istos tam elatos spiritus subigat.

Sed unde ista effera vis animi? Dicerem illud Comicum: *Adeóne ferox es, quia imperium habes in belluas?* Verùm et si eos, quibus imperas, propè pro pecudibus habeas; tamen fateris, te intus aliam alere belluam, quam comprimerè non possis. Et quidem in iisdem ad BUCERUM literis addidisti, istud ingenii tui tumentis inflatum vitium esse genii potius, quàm judicii. Malè sit huic malo Genio, qui te torquet. Ego nondum sperare desinam meliora, præsertim cùm non videam, quid te hominem aridum tam valde inflare debeat. Nam et si scientia inflare dicatur; ne ea quidem tamen theologica, propter quam tumes, tuæ inventionis est: qualiscunque enim sit, erat ab aliis antea evulgata in Germaniâ, vel Helvetia: Et licet sit abs te ingeniose vel interpolata, vel polita, vel aucta, vel in linguam Gal-

Gallicam conversa: tamen quæ tandem ea  
tanta est gloria; quæ te propere, tanquam  
fermento inflatum, supra nubes ventoso cur-  
ru attollat? Scribunt & alii similes Commen-  
tarios, qui tamen, tuo exemplo, non attol-  
lunt aut supercilium, aut cristas. Nequè sanè  
CHRISTI Religio est, quæ talem fastum alit.  
Ergo si relegas illos tuos Commentarios, de-  
sperare non possum, tibi aliquando in men-  
tem venturum esse; quid te deceat. Et quæ  
tandem tam fera natura esse potest, quam nul-  
la neque doctrina, neque Religio eicurare  
possit. Scis, Ethnicum Poëtam etiam dixisse:

*Nemo adeò ferus est, qui non mitescere possit,  
Si modò culturæ patientem accommodet aurem.\**

An tam teneræ, & impatiens tibi aures sunt,  
ut nondum ne illam quidem tam suavem, &  
Evangelicam culturam admittant? Illam dico,  
quam aliòqui tot jam annis alios docere te  
dicis, vocem cœlestis Magistri: *Discite à me,*  
*quia mitis sum &c.* \*\*

Hic fortasse commotior exclamabis: Fa-  
cessat hæc disciplina placidæ lenitatis, ubi sæ-  
vâ severitate pugnandum est. Atqui, mitissi-  
me JOANNES, quæ in hâc contentione tandem  
est causa tuæ acerbitalis, tam valde efferves-  
centis?

---

\* HORATIUS Lib. I. Epist. I. ¶. 39.

\*\* MATTH. C. II. ¶. 29.

centis? Ego abs te indignè laceſſitus famoſo libello, & ſinè ulli cauſā indigniſſimè vexatus, vulneratus, atque confoſſus, putavi mihi li- cere aliquem gemitum edere, quem planè comprimere juſtiſſimus dolor non ſinebat. Pu- ravi fas eſſe, liquidò negare, quod mihi falſo objiciebas, & uti Jure Gentium. An hoc Maſtatiſ crimen eſt, quod ausuſ ſum queri, mihi à calumniā injuriā fieri? an cùm uſq[ue] \* aliquem indignè pefſundat, & proculcat, ne- fas eſt eum dolere, aut ingemifcere? In Pi- ſonianā (quam te hominem frugi propè edi- diciffe, ut, cui voles, terribiliter ſimul, & eleganter maledicas, ex copiā tuorum convi- tiorum conjicio) CICERO exclamat: *Quis hoc facit ullā in Scythia Tyrannus, ut eos, quos luſtus afficeret, lugere non fineret?* \*\* Certè ipſe Phalaris, quos in ſuo tauro torrebat, mugire patiebatur: At tu, cùm me deglubis, & ma- etas, ne balare quidem permittis; imò verò, cùm abſ te excarnificatus, atque dilaniatus ſuf- piro, carnificem eſſe me, & lanienas ſpirare, creparéque aīs; nihil ut ſuperfīt, quām ut me eo etiam modo accuſes, quo olim Fimbria noſtrum Q. MUTIUM SCÆVOLAM accuſavit.

En, quanta ſit iſtius in ſuo lacu Reguli, diuturnā impunitate veluti ebrii, protervia. Quid, quia indolui, cùm me conſingeres im- meren-

---

\* Injuria contumeliosa.

\*\* In Oratione in Pifonem, N. 18.

merentem, nunc exclamas dignum esse suffi-  
xione: nam hoc tuum verbum est, quod ab  
aliquo Turcico Carnifice didicisti; ut & alias  
ostendisti, non nescire te, quid sit *palum dif-*  
*figere*: & fortasse aliquando audivisti, quod  
quidam narrant de cruciatu BALDUINI II. Imp.  
Constantinopoli à Barbaris capti: quid igitur?  
Aude, bone, iterum mutire. Audebo, licet  
arma mihi, mortémque mineris. Prospicio  
equidem periculum: nam cum quo insidiato-  
re nunc mihi res sit, scio. Sed capit is etiam  
mei periculo necesse est occurrere huic Poly-  
phemō, qui fugientem magis insequeretur.  
Ac terreat licet multos trifulco suo fulmine,  
puerósque percellat sonoris suis crepitaculis,  
vel quibusdam præstigiis miseram multitudi-  
nem incantet: tamen spero superesse aliquos  
bonos, integros, fortes, & cordatos Judices,  
qui hujus non minùs, quam prioris Apolo-  
giæ Jus æstimabunt: quam quidem si fortè  
vehementiorem esse mirentur; Adversario  
nos gratificari voluisse sciant, qui secum vult  
agi acriùs, apertiùs, vehementius. Denique  
sciant, accessisse honestissimum calcar, cùm  
hortatores accesserint quidam, ejus five Mi-  
nistri, five collegæ, intolerabilem Magistri  
ferociam non ferentes; qui, lectâ meâ priori  
Responsione, scripserunt, immortales se DEO,  
& mihi gratias agere. Vix audeo adjicere,  
quod adjecerunt, consurgendum esse adversus  
superbiā, quæ se attollit supra, & adver-  
sus

sùs omne Numen; tāmque elatos spiritus es-  
se contundendos. Ne quid fingere videar,  
eos, quorum habeo in hanc sententiam scrip-  
tas ad me literas, nominarem: Sed viris bo-  
nis ab sævo Magistro nimis metuo. Fuerunt  
alii minùs irati, qui quia *Orestis* antea men-  
tionem fecerant, nunc me memorem esse ju-  
bebant Horatianorum Versuum: \*

*Quin ex quo est habitus male tutæ mentis Orestes,  
Nil sanè fecit, quod tu reprehendere possis:  
Non Pyladem ferro violare, aususve sororem  
Electram: tantum maledicit utrique, vocando  
Hanc Furiam, hunc aliud. jussit quod splendida  
bilis.*

Ego verò vix nostri quoque *Orestis* maledictis irasci possum, & quod *Pylades* fecit, facere non recuso.

Sed, velim, nolim, aliquid respondendum est. Evidem aliquos, qui magis, quam ego, idonei sunt ad respondendum, & quorum non interest minùs, quosque non minùs, quam me, hic hostis communis proscindit, rogavi, hanc ut curam susciperent: Sed tantum non modò Herum, sed Heroem nolle pugnare cum Lamiis (quas vocant) & larvis, responderunt. Ac se quidem attonitos legisse istius, ut loquuntur, Jovis Lemannici nova fulmi-

---

\* HORATIUS Lib. II. Sat. 3. v. 137.

fulmina in me iterum contorta: Sed sibi vide-  
ri, iis procurandis mibi neque carmina dees-  
se, neque suffimenta. Evidem non desinam  
alios, quos hic impotens Anathematistes pro-  
culcat (& quos tandem ingenuos, & rectos  
non proculcat?) cohortari, ut aliquando re-  
vocent, attollantque animum, & jugum ex-  
cutiant, & assurgententes, si opus sit, *άντιβρον-*  
*τᾶν*\* audeant, istumque Salmoneum compes-  
cant: Nam non is ego sum, qui tantum pos-  
sim, quantum necesse est ad reprimendum  
hunc *Κηρανοβόλον* \*\*. Non tali auxilio, nec  
defensoribus istis tempus eget, erit enim,  
quod jaciam, telum imbelle sine ictu. Et ve-  
rò quidam nuper recte dixit, *Herculem* potius  
aliquam Caco fumanti, atque incendia vana  
vomenti \*\*\* esse objiciendum. Interea ta-  
men, quia cedere non licet, lacescenti Adversa-  
rio etiam solus occurram: &, quando tacere  
non est integrum, dicam aliquid, præsertim  
cùm veritatis, & famæ meæ causam deferere  
non possim. Nam etsi me mendax (ut idem  
HORATIUS vocat) infamia minimè terreat; ta-  
men mihi iterum venit in mentem CICERONIS  
admonitio: Ut maximè falso accusetur aliquis,  
tamen non esse negligendum: quanquam exi-  
stimem veniam me petere debere abs Lecto-  
ribus,

---

\* Contra tonare,

\*\* Jaculatorum fulminis.

\*\*\* VIRGILIUS *Aen.* Lib. VIII. v. 258.

ribus, quos istis odiosis (ut vere dicam) nūgis obtundimus.

Nam quā tandem de re litigamus, suavisime, atque optatissime JOANNES? Quis status est tuæ tumultuantis actionis? Quis aut modus, aut finis erit horum certaminum? An hunc orbem, quod agat, nihil habere aliud putas, quām ut otiosus operam det audiendis tuis raucis clamoribus? An vel in iis, vel in eorum Authoribus quisquam putabit quidquam esse Religionis? Quid dicet posteritas, non de me, cuius fortasse nomen erit ignotum posteritati; sed de te, cuius magnam, & sempiternam fore memoriam gloriari? Sis sanè; vel habearis summus Theologus: at certè, nî vir bonus sis, verus non eris Theologus: saltem theologicus esse non dicetur eorum sermo, *quorum* (ut ait Psalmus) *os maledictione plenum est*\*. Cum istud cogito, iterum, honoris tui causā, subsisto, quantumvis me impellas; & magis, atque magis impediri meam responsionem sentio: nam & difficile est, quod tamen imprimis vellem, tecum agere placidè, & temperanter. Quid enim? Tu cum semper iratus accedas ad scribendum, & mirifice sis facundus ad maledicendum, incredibili fœcunditate tibi affluunt, quæ profundas, verba, ex nescio quo Cornu copiæ repetita, tam terrifica, tam contumeliosa, tam aculeata, quibus

---

\* Ps. 13.

quibus adversarium percellas, lancines, confodias, configas; ut, etiam si truncus sit, commoveri possit, vixque possit sibi temperare. Si Jure communi in foro causam ageres, saepe poenam, mulctamque (si solvendo esses) penderes: saltem si Legibus tenereris, illam ego tibi Legem VALENTINIANI objicerem, quae vetat, Advocatos in licentiam convitiandi, & maledicendi temeritatem prorumpere: quae jubet eos agere, quod causa desiderat; temperare se ab injuriâ; & hanc addit sanctionem: *Si quis adeò procax fuerit, ut non ratione, sed probris putet esse certandum, opinionis suæ imminutionem patietur.* L. VI. C. de Postu. Sed Theologum non constringunt Leges Civiles.

Rursus verò tuis criminacionibus respondere difficile est, quia & infinitè, & confuse plerumque declamas, cum in aliquem inveheris. Lex, quae jubet Accusatores subscribere suis Libellis, vult etiam, ut subscriptant, & exprimant speciem criminis, & quo loco, quo anno, quo mense id commissum fit. Nunc cum tu hujus Legis posteriorem partem non minus, quam antea priorem, contemnas, anime vis in tenebris tecum digitis micare? Postremò quantumvis multas tibi Leges objecrim, quae jubent Accusatorem, nisi Calumniator videri velit, liquido probare, quod intendit; ne hanc quidem conditionem admittis, & (quod nemo sibi concesserit) arrogantiissime

R

vis,

vis, ut tibi, etiam nihil probanti, cùm te non modò laudas effusè, sed & aliis importunè maledicis, statim fides adhibeatur. Si hoc impetrare possit adversùs Leges Authoritas tua, ut *αὐτὸς ἐρα* \* de te, sicuti de Pythagorā, dicitur, vicisti: sed apud sanos, & cordatos viros nondum id consecutus es.

Tu quidem multitudinem aliquam incantando excoecasti, ut nihil videat, nihil discerat, & verba dantem, quasi Oracula fundentem, adoret: quid enim tam valde, quām nihil sapere, vulgare? Sed erras, si perpetuum hunc errorem fore confidis: nam & multos in Galliâ etiamnum sapere, ut hoc Idolum prostrati non colant, scito.

Nescio, an, quia propter malum carmen, famosumque libellum intestabilis esse jussus es, dices tibi non licere aut testes adhibere, aut aliis testimonium denuntiare. Sed ea res tuam rāntò magis calumniam jugulat: & verò si infamis alium accusare non potest, an potest intestabilis? An eum, cui testimonium dici non potest, testem in causâ suâ idoneum esse aliquis dicet? Ergo iterum audebo profiteri, & te calumniari, & me tuis mendaciis non credere. Audebo & tuum rursus mendacem, atque maledicuum libellum, quo me postremo laceras, non dico dilacerare (quod tamen jubent Leges de

---

\* Ipse dixit.

de famosis libellis) sed aliquâ responsione pungere; quanquam ita scriptus sit, ut sit difficillimum non agere perturbatè, si quis ei respondere velit. Ergò cùm hìc iterum hærem, suavissimum illud scriptum, cuius lectio- ne satiari vix possum, relegi: & ecce, tandem occurrit quædam veluti methodus, quâ & tibi satisfacerem, & me expedirem. Animadverti enim duas aureoli illius, & artificiosissimi tui libelli esse partes. Priori parte se se intemperanter laudat, & prædicat suas virtutes Author ipse: altera aliis maledicit non minùs intemperanter. Quod ad priorem attinet; per me sanè licet, ut homo scilicet ἀναργέτης \* inflatis (ut loqui solet) buccis etiam ante mortem celebret suam veluti ἀποθέωσιν \*\*, útque admirabilium suarum sit facundus Præco virtutum. Sed cùm hoc vult, & facit, quærat peregrinum: nimis enim familiariter novi hunc Thrasonem, quām ut ei Gnatho esse possim.

Sed si tam patientes, ac stupidas aures habemus, age, audiamus, quid de se miles glriosus in fabulâ nunc prædicet. Ait, quotquot ei inimici sunt, esse professos CHRISTI hostes: nullas verò inimicitias se unquam suscepisse privatâ causâ, nec cupidè appetuisse; nullas denique ab ejus culpâ fuisse ortas. Hocque

R 2

sibi

\* Impeccabilis.

\*\* Relationem inter Deos.

sibi plūs satīs esse, nullum ei aliā de causā esse inimicum, nisi quia sacrilegā audaciā insurge aduersūs pietatis doctrinam, & Ecclesiæ salutem ausus fuerit. Quotquot nostro tempore CHRISTUM, ejusque Ecclesiam hostiliter impetere tentārunt, eorum se se furori fortiter opposuisse, atque, ut acriter eos excepit, ita indefatigabili constantiā persecutum esse: suam moderationem omnibus notam esse: neminem suā aetate excelluisse pietate, & doctrinā, qui non eum complexus sit summo amore, & plus detulerit, quam vellet: MELANTHONEM sibi eum prætulisse: nullum esse in toto Orbe terrarum fidelem CHRISTI servum, cui non porrexerit fraternalē societatis manum. Semper tam ex animo, quam ex professo defugisse, quidquid eum extra modestiæ fines abriperet: se esse hominem ab omni ostentatione longè remotum: suam perpetuam fidem, diligentiam, integritatem, modestiam, tolerantiam cum assiduis pro Ecclesiæ laboribus probatam esse tot insignibus documentis jam indè usque ab ejus adolescentiā: sibi esse filiorum myriades in toto orbe Christiano: se tuā tenuitate contentum, frugalitatem sic coluisse, ut nemini gravis fuerit: se quietum manere in suā statione: de suo stipendio aliquid remisisse: suas omnes curas, labores, studia ad omnes Ecclesias juvandas conferre: se docendi munere sic defungi, ut in summā fide, & diligentia, nulla ambitio appa-

appareat : nullos hactenus prosperos succel-  
sus eum inflasse : multas, & graves procellas,  
quibus jactatur, se intrepidè sustinere : se co-  
mitem vivere cum suis æqualibus : se fide-  
liter amicitias tueri. Hæc, & id genus alia  
ille de se satis profectò multa in libello non  
magno Non exclamo: Quorsum hæc tam  
putida tendunt? Per me sanè (iterum dicam)  
licet, ut plura etiam ebuccinet; modò tali ja-  
ctantiâ alios non obruat, & mihi veniam det,  
si non possum credere vanitati. Hâc condi-  
tione permitto, ut etiam de se succinat illud.

*Ad summam sapiens uno minor es Jove, dives,  
Liber, honoratus, pulcher, Rex denique Regum.\**

Alterâ, ut dixi, pars gloriofissimi illius li-  
belli vehementer mihi, & aliis maledicit, cui,  
ut audio, respondendum est. Sed rectè dixe-  
ro, non esse laborandum, quia ea ipsa sugge-  
rat verba, quæ in Authorem commodissimè  
retorqueantur, nullâ ut sit opus aliâ respon-  
sione. Nam terribiles illæ phrases, quas eja-  
culatur, eæ sunt, quibus ipse retundi potest,  
si qui eum suo gladio jugulare vellent, si mo-  
dò velint (quod non puto velle viros bonos,  
ingenuos, Christianos) tam, non dico acer-  
bè, sed atrociter cuiquam homini unquam  
maledicere. Certè ne infantibus quidem ta-  
lem currum, quo in hunc Dictatorem inve-

R 3 hantur

---

\* HORATIUS Lib. I. Epist. I. v. 106.

hantur, consendentibus maledicentissima oratio deesse posset, si, quod ille suggesterit, recitare velint, ut, mutato nomine, de ipso fabula narretur. Itaque & nostram sive balbutiem, sive infantiam, quam perculit, non modo adjuvare, sed etiam armare fortasse voluit, & nobis esse veluti phonascus \*. Quid enim, si, responsionis loco, nunc his ejus verbis utar, & hæc, tanquam Emblemata, quæ propinat, mutuari ab eo velim? Ut ejusmodi homines ad rabiem invitat desperatio, præcipitem cùm egit mala conscientia, ut cæco impetu in se ipsum potius, quàm in me rueret! Commotum ejus intemperie me fuisse non negabo: quando fieri non potest, quin hominibus cordatis, & ingenuis stomachum moveant tantæ indignitates: sed ejus convicia, perinde ac si me non attingerent, facile despexi.

*Quoniam tamen nobis quotidie rogandus est Deus, ut Diabolum, ejusque Ministros compescat, nostrarum quoque partium est, ne eorum mendacii obruatur veritas, effræni eorum licentiae obfistere.*

*Certè præstebat, eum malæ cause defensionem omittere, quàm insulis scommatibus manifestum crimen eludere, cuius odium, & detestacionem ex piorum cordibus nunquam eluet.*

*Bonus*

---

\* Vociis pronunciationisque Magister, & Moderator.

Bonus vir ut dedecus tegat, omnium oculis expositum, convitiando perturbat totam actionem. Ut nugator iste suas phaleras alibi venditet. Sed quorsum tam putida jactantia: ac si ullum unquam edidisset vel prudentiae, vel moderationis specimen?

Et tamen ut aliquâ gravitatis specie superbiat, cothurnum induit, séque prædicat tantò magis esse Religiosum: affirmet sanè, modò nemo credat. Ego verò, quid futiliter garriat de rebus Ecclesiasticis homo ut pietatis expers, ita Sacrorum omnium ignarus, nihil moror.

Ego tametsi ex multis idoneis testibus compertum habui, eum proditorie se gessisse; multa scelere, & nequiter cum paucis sui similibus agitasse, ac intestinum fuisse Ecclesiæ hostem: continuite tamen, ac ejus defectione perinde dolui, miserique interitum deflevi, ac si nunquam in caput meum cum improbis nebulonibus conspirasset; ut vix patientiam meam ferrent veteres ejus amici. Hoc verò extremo aëtu edito, taceve mihi non permisit; & tamen impurum os perfricans. subinde rogitat, quænam me intemperantia contra ipsum adegerit.

Quis non videt hominem, petulantiae deditum, vomere potius, quæ stomachum gravant, quam loqui?

Respondeat nunc ipse mihi, velim, quomodo tot sibi acquisierit hostes; cur se, & ipsos atrocibus

bus pugnis exercuerit; cur musquam reliquerit  
verum amicum. Cui probetur, nescio: omnibus  
certe doctis, & pro his viris, quibuscum versatus  
est, exosum esse constat.

Fontem si querimus, non aliud reperietur,  
quam ejus ambitio, superbia, invidia, perfidia,  
& si qua est similis virtus. Sed toto libello se pro-  
dit pudenda ejus fatuitas, quam voce gravius eum  
vulnero, quam si omne genus scelerum in eum  
conferrem. Recto enim, & honesto valedixit,  
modò acutus, & vafer credatur. Serio tamen  
docendus est, quam putidum se reddat insipidis  
suis facetiis.

Quam fuerit placidus hic noster, & erga  
suos Collegas comis, & humanus, inquirant: re-  
perient, ubique fuisse intolerabilem. Sed frua-  
tur sanè Ismaelis gloriâ, cuius manus est contra  
omnes, sicuti manus omnium contra eum.

Pudeat effrænis suæ proterviæ: vel agnoscant  
Lectores, quam ad convitiandum vesaniâ feratur.  
Et quis suspicatus esset hominem nibili tantum sibi  
arrogare, nisi se ipsum proderet? Eat nunc, &  
buccas inflet inani jactantiâ.

Ego verò siquid in eum juris unquam vendi-  
care mihi potui, libenter remitto, quia cum Sa-  
ganâ, cui se totum addixit, mibi nihil est com-  
mune. Sed ex ejus literis agnoscant Lectores, si  
nunc immaniter contra me ferociat, ingratitudi-  
nus

nis culpam in eo residere. Agedum verò, inson-  
tem se probet, sicuti audacter facturum minatur.  
Ego autem simpliciter excuso, quoniam non modò  
perfidiosè mecum agendo, sed nunc insidiis, nunc  
aperto conatu in communem Ecclesiae perniciem  
grassando, spem meam scelestè fefellerit, eò justio-  
res mihi fuisse iracundiae causas quam in exterum  
quemlibet, vel ignotum. Quod si humano more de  
me conquestus esset, fortè eādem spe, quæ me frustra-  
ta erat, iterum deceptus, optasse de vebementia  
aliquid remissum; nunc verò cùm belluina ejus ra-  
bies, perditæ, & desperatæ mentis signum non  
sit obscurum, dicere mihi cum Propheta, ut ar-  
bitror, licebit: Quod perit, pereat. Porrò quām  
non præcipitanter in ipsum effebuerim, multi  
sunt idonei testes, quibus notæ evant præclaræ  
ejus actiones. Cui tamen clementer pepercii, &  
quem sustinui tanta patientia, adhuc de mea in-  
humanitate conqueritur. Quām verò indignam  
mercedem retulerit, partim breviter exposui, par-  
tim dissimulo, ne privatas injurias persequi vi-  
dear. Certè ut stylum in eum stringerem, nun-  
quam adductus sum, donec voluntarium obtulit.  
Neque enim, secus ac gladiatores in cædem ruunt,  
hic facetus scurra præceps ad convitiandum fertur,  
ut non stigmate modò, sed suffixione opus sit, si  
de nequissimo calumniatore pœna pro merito su-  
matur.

Ergo nebulo, nescio quis, cæno emergens,  
impura sua procacitate Soli tenebras obducet.

R 5

Atqui

*At qui longè fallitur, qui aliud assequi se confidit, quam ut intolerabilis ejus superbia omnibus fœteat.*

*Vanitatis, futilitatis, calumniae, maledicentiae magnam esse turpitudinem, fateor. Cur ergo his omnibus vitiis infamiam, & odium omnium sibi accersit?*

*At qui nihil melius, quam vesanum hunc furorem, qui ad me non pertingit, è tuto despiceret: quia ubi latratus omnes suos consumpserit, idem manebit, qui semper fuit, obscenus canis.*

*Ejusdem est futilitatis, quæ jam in aliis spurcis convitiis patefacta est. Quid tibi invideam, miser? quid tam stolidæ comparatione assequi te putas, nisi ut os tuum impurum omnes conspuant? Si omnia recensem, quæ homini vel ferreæ, vel nullius frontis comminisci, & garrire licuit, nullus erit modus.*

*Sit verò hoc memorabile tuæ vanitatis trophæum, qui non modò insolentius, quam ante hac, cristas erigere, sed linguam, ungues, & dentes acuere ita cœpisti, ut nihil unquam extiterit, vel superbius, vel truculentius. Eat nunc, & se in suo stercore volutans, fætoris sui odore delectetur, donec Ordinum omnium detestatione obrutus, quid sit pudor, & misericordia, disce re incipiat.*

*Sed*

Sed voluit scilicet Religionis opinione sibi gratiam acquirere apud simplices, ac si crederet, ultum in Cælo esse Numen.

Hoc verò est non assurgere supra larvas, sed larvarum omnium integumenta congerere ad fallendum. Scilicet non satiatur crudele ejus in medium tot, quibus me omnes Christi hostes impetunt, calumniis, nisi in arenam projiciar, à feras laniandus.

Sed quia cum Cynico scurrā nullus esset litigandi modus, præstat, verborum ampullis solidam verum ipsarum veritatem opponere.

Infelici genio, vel fatali quodam morbo, semper ad nocendum satagit; sibi uni addictus, omnes, à quibus nihil sperat, fastuosè despicit: potentum favorem captat sinè modo, blandis affectionibus: bonis, quibus invidet, plusquam ferociter insultat. Quocunque venit, fax est prorsus furialis ad excitandas discordias. Denique, ut neminem unquam sincerè dilexit; ita neminem ex probis, & integris Dei cultoribus habet amicum. Si asperior visus fuero, Autbore Paolo, culpam io eum ipsum rejiciam, qui me coëgit.

Hæc sunt, quæ nunc nobis dictâsse vide-  
ris, ne infantia alioqui nostra, cùm tibi ira-  
cundè, & eleganter respondendum est, balbu-  
tiens hæreret. Ac ne ingratos esse nos putas,  
iterum prædicamus, O magne Magister ma-  
ledicendi, hæc esse tua dictata, tuas formu-  
las,

las, tuas phrases; quibus quidem uti possimus, si te tuis retortis fulminibus percellere, atque obruere velimus. Nam eodem, quo tu jure in alios, qui saltem te deteriores non sunt, talia contorques, retorqueri in te possunt. Ergo ut breve faciam, fingito, illa omnia de te, & adversum te dici, si eo genere orationis delectaris. Certè agnoscis aliquam horribilis tui Libelli *ἀνάλυσιν* \*, cujus fragmenta per quandam (utar nostrorum Jurisconsultorum verbo) *ἀντανάκλασιν* \*\* te referire possent. Et licet alias ejus generis tuos commentarios uberiores, tali copiâ talium verborum refertos; non revolvamus; en in unâ, minimè etiam longâ declamatione quantam silvam inclusisti talium spiculorum: quæ tamen diligenter asservare debebas, ne in aliud emissa, in te reciderent. Fortasse quia in priori responsione dixeram, exhaustisse te tuam convitiorum pharetram, ostendere nunc voluisti, eam esse inexhaustam. Sed nescio, antibi expediat, tam valde effundere tales tuos thesauros. Nam si te nosti satî, sentis te adversario suppeditare liberaliter, quod tibi sine ullo suo labore respondeat, si, tuo more, confusè tonare velit. Absit, ut tam aut impotenter agamus, aut furiosè declamitemus. Absit, ut, quod Theologo indignissimum est,

Juris-

---

\* Analysin.

\*\* Recriminationem.

Jurisconsultus imitetur tale genus non loquendi, sed convitiandi, atque debacchandi. Sed fieri non potest, quin & tua nobis consuetudo affricet aliquid sui morbi, & contagionis; & ego contendendo tecum, vel invitus discam quidpiam tuæ acerbitatis.

Scio, respues exemplum Christianæ moderationis, quod nunc tibi proponam: non enim natura tua capit, quod tuâ esset fortasse personâ dignum. Sed tamen proponam, ut, si tu moneri nolis, me ipsum admoneam. AUGUSTINUS Lib. III. contra Literas Petiliani: Ego, inquit, quando cuiquam vel dicendo, vel scribendo admoneo, etiam contumeliosis criminationibus lacesitus, quantum mibi Dominus donat, frenaris, atque coercitis vanæ indignationis aculeis, Auditori, Lectori ve consulens, non ago, ut efficiar homini convitiando superior, sed errorem convincendo salubrior \*. Ecquid, ò bone, talis actio tibi placet? Evidem mirarer, te, qui non modò Theologus, ab AUGUSTINO non abhorrens, sed & Theologum, & quidem, ut loqueris, Reformatorum, atque regeneratorum Princeps vis videri, tam valde ab hâc sententiâ abhorrere, quæ tamen non solùm cum principiis Religionis, sed & cum primis præceptionibus humanitatis consentit.

Verùm ut mirari desinam, professus es, naturam tuam esse indomitam belluam. Certè, ut

---

\* Cap. I.

ut PLUTARCHUS eleganter disputat, quomodo quis sentiat, se se in studio Philosophiæ (ut loquitur) προνοτέν \*; multi nunc attoniti observant, in te nondum illud, quod primum esse deberet extare argumentum, ex quo liqueat, tuum animum ad meliorem mentem revocatum, in Philosophiâ Christianâ, multa movendo, aliquid promovere; sed difficillimum est, ut ais, naturam vincere. Tu libris tuis præfigis illud AUGUSTINI: *Ego ex eorum numero esse me profiteor, qui scribendo proficiunt, & scribunt proficiendo.* Non dispiquo, quis sit ille tuus profectus, quænam προκοπή \*\*; sed negare non potes, eum, qui in facultate scribendi atrociter, & vehementer maledicendi proficit, religiosiorem propterea non effici. Videris, an (quod imprimis erat necesse) fias melior scribendo; quæque aliis aliæ scribis de officio viri boni, & Christiani, ipse ad te pertinere seriò, sæpèque cogites. Sed aliud facias, aliterque & loquaris, & scribas, oportet, si nobis velis persuadere, te cum AUGUSTINO non modò in scientiâ valde proficere, sed etiam in conscientiâ bonâ; sinè quâ ecquid tua vel scientia, vel scriptura, vel loquacitas erit aliud, quâm (quod Apostolus ait de fide sinè charitate) *Cymbalum tinniens* \*\*\*? Est enim tuæ

---

\* Proficere.

\*\* Progressio.

\*\*\* I. Cor. 6. 13.

tuæ professionis alia conditio, quām alterius artis, & disciplinæ. Sed & licet tuæ apud DEUM conscientiæ rationem non haberet; quod tamen de homine tui ordinis suspicari nolle; at certè gloriæ apud homines tuæ, & æstimationi, quam ambis, caves parum, cùm furiosi convitiatoris famam effectare scribendo videris: vixque est inter amicos tuos (siqui sunt saniores) quisquam, qui non vehementer doleat, simul & miretur, te neque ætate, neque doctrinâ, neque usu, neque admonitione ullâ ad aliquam scribendi temperantiam posse revocari.

Scio, jam pridem tibi molestam esse hanc (ut appellabis) battologiam \* otiosæ commonefactionis; & imperiosè, credo, jubebis me, Atticâ lege, ἀνεο παροιμιῶν, ναὶ παθῶν \*\* statim respondere objectis criminibus. Ego verò nihil velim magis, sed iterum dico, vix scire me, unde ordiar, ubi desinam: adeò artificiosè, quæ confertim concessisti, maledicta permisces.

Principio ut solent molles, & suaves esse tui prologi, exclamas, me esse falsarium. Cur ita? Quia, inquis (hic enim notas diligenter crimen) vicefimâ quinta die Julii anno quin-

---

\* Crebram repetitionem more Batti, poëta, qui in Hymnis suis idem sœpe repetit.

\*\* Sine Præfationibus, & Affectionibus.

quinquagesimo septimo, Privilegium à Rege impetravi, quod datum sit meo de famosis Libellis, & Calumniatoribus Commentario, qui tamen non nisi anno superiore sit editus. Quid istud rei, quid monstri est, doctissime vir? Evidem vix tandem suspicari potui, quid velis: eo enim anno, & die in Germaniā eram, nihil de Galliā, nihil de Rege, nihil de Privilio ullo, nihil de famosis Libellis quidquam cogitans. Sed quid te fefellerit, at alium clamitares esse falsarium, nunc demum intelligo: Vechelus, Typographus Parisiensis, eo tempore generale, ut vocant, Privilegium Regium sibi impetravit, quo, quoscunque deinde libros excuderet ornaret. Eo, ut fit, forte usus est, cum Commentarium meum ederet. Tu qui ne illud quidem vides diploma non mihi, sed VECHELO datum esse, propterea tamen triumphans, iterum erumpis in hanc exclamationem: *Etsi apices Juris omittam, falsum hic deprehendi, sensus dictat. Quis hunc Dictatorem non modò sensu communi carere, sed & præcipitem ruere in sensum reprobum non dixerit?* Atqui me urges, & jubes, ut hic tibi de Jure respondeam Juri consultus.

Non est, Vir consultissime, quod me nunc consulas de apicibus Juris, qui tuum fugiant acumen, si tibi de Calumniatoribus Leges non satisfaciunt. Quid merearis, liquido tibi dicet una Lex Cornelia de Falsis. Vis, addam præterea

terea leges de stellionatu? Quia vetus vulpes  
pellem non mutat; & tu propterea, quos vo-  
cas versipelles, refugis, nescio an stellio tibi  
satisfaciet.

Sed simplicem, & candidam ingenuitatem  
vafri hominis videamus. Cùm ab eo expref-  
sit, tanquam in equuleo, vis veri, non meum,  
sed CASSANDRI (hunc enim jam, cui noceri pu-  
rat, periculosè nominat) librum illum esse,  
propter quem tamen me proscidit; neque  
jam negare possit, se & falsi, & calumniæ con-  
victum esse, mihiq[ue] factam esse atrocem in-  
juriam; tamen priusquam nunc faciat, quod  
officium viri boni flagitaret (ejus præsertim,  
qui alios novam mortificationem, & regene-  
rationem, & poenitentiam docere se gloriatur)  
iterum os impurum (ut ejus verbis utar)  
perfricans cavillatur, me illius libri, si non Au-  
thorem, scriptorémve, at politorem, prox-  
netam \*, obstetricem, lenonem, productorem  
esse. Mira est hujus Dictatoris dicacitas: sed  
admirabilior, impudentia, dicam, an contuma-  
cia? Certè protervia est plus, quam (verbo  
utar, quo delectatur) meretricia. Scriptus (ut  
læpe jam dixi, & nemo nescit) editus, distra-  
ctus est liber ille, cum de eo nihil quidquam  
vel audisset, vel rēscivisset, & sexcentis  
propè millibus passuum abessem: & tamen  
(quæ tua est perspicacitas) ais, in eo agnoscere

S

te

---

\* Conciliatorem.

te notas styli mei, & sciens, prudens in manifesto mendacio peritas, ut iterum mentiaris, ex meâ illum manu prodiisse. Quid miser te torques? Quod prius sumpseras, abs me librum scriptum esse, tam facile probabis, quâm eum esse abs me politum, aut vulgatum. Sed tenes vetus illud: *Cum quis impudens esse cœpit, gnaviter impudens esse debet.*

Si, inquis, in Jus te accerserem, tribus verbis finita esset causa. Utinam ego te in aliquod jus vocare, ducere, trahere possem! vix tres lictores sufficerent ad tuam iterum calumniam castigandam, & disceres aliquando finem facere mentiendi. Delige, quam voles pœnam, vel Legis Remmiæ \*, vel Talionis, vel intestabilis Infamiæ, vel Cauterii, quo frons tua inuratur, vel Myricæ, arborisque infelicis: quid tergiversaris? Iterum intonat Lex: *Si calvitur, manumendo jacito.* Verte te in omnia: nunquam hodie effugies: absiste moveri; mane.

Sed confugis ad Typographum: Is (inquis) non negavit. Accipio conditionem. Is est, opinor, OPORINUS \*\*; vir optimus. Ite-

---

\* Calumniatoribus pœna Lege Remmia irrogatur L. 1. §. 2. π. ad SC. Turpil Add. HEI-NECCIUS in *Antiq. Rom. Lib. IV. Tit. 16.*

§ 3.

\*\* Typographus Basileensis.

Iterum periisti, si ejus testimonio statur. Non proferam, quas ad me literas scripsit de injuria abs te mihi facta. Tu, qui vicinior es, hominem interroga. Exclamabit, vereor, te omnium hominum impudentissimum, atque perditissimum esse calumniatorem: & quia eum testem laudas, falsi te reum ipse peraget. Quam miserum est (dicebat quidam olim) negare non posse, quod est turpissimum confiteri! Sed minus tibi turpe esset, confitendo, veniam deprecari, quam inficiando, crimen duplicare. An saepius mentiendo effugere te posse putares, si aut nunc carcer, quo dignus es, te constringeret, aut lictor teneret? Sed tu in isto tuo Olympo securus, suaviter ridere potes omnes & Judices, & lictores: ut & jam pridem propterea impunè soles, cuicunque vis, injuriam facere; & talibus te ludis oblectas.

Memini, cum scriberes in Tridentinum Concilium, & pro tuâ civitate, atque erga tuam Gentem benevolentia, potissimum Gallicis Episcopis, qui intererant, contumeliosè, hoc est, more tuo, malediceres, te, ignominiae, & convitii causâ, nominasse Nenetensem. Atqui is non erat Tridenti, neque eò venit unquam. Id cum intelligeres, & omnes intelligere scires, quid facis? O ingenui hominis pudorem! Illam virulentæ maledicentiæ farraginem, quam vocabas Antidotum, gallicè rursus

edidisti, & pro Renetensi Rhedonensem, alterum Britanniae Celticæ Antistitem, supposuisti; ut hic in Galliâ audiret, quod ille in Latio, & uteque infamaretur: sic enim verecundè scilicet errorem tuum castigasti, & communicatione quâdam maledictum conduplicasti. Hæc enim pœnitentia est, quam tu erroris, scelerisque convictus egisti.

An hæc ars, & consuetudo tua est sive multiplicandæ contumeliæ, sive injuriæ duplicandæ, si quis fortasse monitor te ad Jus aliquod revocet? Minimè ergo mirarer, si eodem mihi modo nunc satisfaceres: sed nescio quo modo acerbior erga me, & pervicacior, & iniquior malevolentiae tuæ rigor est. Nam quem in me vexando errorem commisisse te in priori tuo adversùs me libello famoso, negare non potes, neque, cùm hunc gallicè recuderes, correxisti, reo commutato, neque jam commutas; sed iterum, iterúmque ingeminans, ita pergis, agisque, ut quidvis dicere paratus sis potius, quām vis veri te adīgat ad aliquam vel tacitam sive erroris manifesti confessionem, sive convictæ culpæ deprecationem. An hominum (intelligis Apostoli \* verbum) ἀπηλγυκότων \*\* tam præfracta esse potest confidencia? Si dicas, tam de Republ. Christianâ præclarè meritum esse te, ut tibi privatim licere debeat

---

\* S. PAULI.

\*\* Hominum, qui dolere desierunt.

debeat quidlibet : aut me tam esse hominem  
(ut vocas) nihil, impunè ut possis in eo cæ-  
dendo te oblectare :

*Nos animæ viles, inhumata, infletaque turba,  
Sternemur campis.* \*

Sed tantum, scito, mihi etiam jacenti superesse  
generosæ ingenuitatis, ut, etsi linguam revel-  
las, meo tamen spiritu, si voce non possim,  
injurias tuas refellam, atque repellam.

Age, ubi negare non potes, te offendisse,  
quo pergis? Quò magis teneri te sentis, ut  
irretitæ feræ solent, tantò minùs quiescere  
potes; neque tamen cùm te vertis in omnem  
partem, aliud fremens facis, quàm ut te invol-  
vas magis, atque magis. Clamitas, me Rhe-  
mis, ubi nullum unquam vidi Cardinalem,  
vendidisse, atque obtulisse nescio cui Cardinali  
mirificum illum librum; quo tamen tempore  
liber neque natus, neque (ut opinor) concep-  
tus erat, & de quo nihil hactenus quidquam  
audivit Cardinalis ille. Mira est, mi JOANNES,  
tua vertigo, mira hæc melancholia, quæ effi-  
cit, ut videre te putas, quod nusquam est, ac  
ne quidem vigilans, ac monitus, possis tamen  
inanis (quid aliud dicam?) phantasias discu-  
tere. An quia de novo Pontificatu Maximo

S 3

sæpe

---

\* VIRGILIUS Æn. Lib. XI. v. 372.

sæpe cogitas, non potes oblivisci Cardinalium? Addis etiam, nescio quid, de quodam Lotharingiæ Cancellario, qui tamen nullus est, neque ullus unquam fuit. Næ tu iterum valde miser es, qui nondum sentis, te ab tuis delatoribus, qui talia tibi persuadent, irrideri, & per ludibrium veluti in scenam produci, in quâ cantillent:

*Eumenidum . . . videt agmina Pentheūs,  
Et solem geminum, & duplices se ostendere  
Thebas.* \*

Interea nescio, bearéne me velis, an illudere, cùm iterum mihi narras, nescio quid, de spor-tulis illius novi, sed mihi ignoti Patroni. Equidem (jocando loquar seriò) ne me ingratum esse putas, magnam tibi gratiam habebo, si id mihi persolvi cures, quod desponsum mihi esse confirmas: atque etiam, si vis, & per leges liceat, partem tecum dividam; vel potius totum nomen illud, si quod esse putas, dono, & cedo: quanquam, ut mihi caveam, non affirmo esse aliquod. Mihi profecto valde novum, & insolens erit, quod prædicas, beneficium, qui hactenus nullum, ne teruncium quidem, ab ullo vel Episcopo, vel Cardinali aut accepi, aut exspectavi.

Nescio,

---

\* VIRGILIUS Æn. Lib. IV. v. 469.

Nescio, an multos habeas in tuo Collegio,  
qui mecum gloriari possint, nunquam se quid-  
quam delibâsse ex opibus Ecclesiasticis. Vi-  
deas tu cum tuis, quantum olim indè decer-  
pseris, & quām illis rursus bonis inhies. Sed  
quid putas dici posse, si dicere velim, quid  
nunc tui hauriant? Quid si artem exactorum,  
nervum tuæ factionis, aliquis describeret?  
Quid, & quantum, & à quibus, & quā arte  
accipias, non inquiero; neque mēa refert: tan-  
tum abest, ut, cùm *Senecam* dedicares cuidam  
Abbati, quem sanctissimum esse profitebaris,  
quāram, quantum olim elicueris. Verūm  
nos ex tuo, tuorūmque ingenio ne æstimato.  
Interea credito, esse aliquos in Galliâ non  
omnino stupidos, atque hebetes, qui non igno-  
rant pecuniarias tui satellitii rationes, & re-  
liqua.

Sed ut hanc cogitationem avertas, & ali-  
quid in me dicere videaris, exclamas, cujus-  
dam nefandi (ut ais) mei colloquii memoriam  
ex piorum cordibus deleri non posse. Quod-  
nam colloquium, ô χαρδιογνώσης \*, Magister  
memoriæ, atque pietatis? Effare, si quid scis:  
saltem ne infans in mentiendo videaris, cùm  
sis minimè, fingito aliquid probabiliter. An  
quia *Nefandum* dixisti, novæ tuæ calumniæ ne-  
fariam nequitiam tegere, & occulere te posse  
putas? Ego te adjuvabo, & hærentem expe-  
S 4 diam.

\* Scrutator Cordium.

diam. Anno suppriori Rex ille, in cuius clientelâ sum, jussit, ut magnis de rebus convenirem Principem Cardinalem, qui tunc erat Lutetiæ. Colloquium de religionis quæstionibus controversis fuit, quod, Deo teste, dico, & affirmo religiosius fuisse, quam ullum fuerit unquam, quod tecum aliquando habuerim. Utinam nunc singula capita, quæ eodem die, ne exciderent, literis consignavi, & compluribus viris pii recitavi, pluribus verbis expondere, & huic libello ad sempiternam posteritatis memoriam includere possem! Sed res longior est, & alio exponi loco poterit. Illud modò dicam, colloquium non dissimile illi fuisse, quod audio, eundem in Germaniâ nuper habuisse cum BRENTIO, & ejus Principe illustrissimo. Cur te tam valde urunt talia colloquia, in quibus de religiosis rationibus Ecclesiæ restituendæ, & concordiæ constituendæ quæritur? Cur de te actum esse putas, statim atque audis agi de pace, &, ut vocant, unitate? Ergo, quod nunc narrabo, fortasse te impulit, ut in me insurges. Quidnam? Remisit eodem me anno Rex idem in Germaniam cum optimis mandatis, jussitque, ut cum ab aliis, tum verò abs CASSANDRO, ad quem propterea scribebat, elicerem, si quid haberent boni consilii ad dirimendas dissensiones, quibus Ecclesia miserè distrahitur. Cum essem Coloniæ, audio, quendam (de quo nihil antea quidquam audieram) libellum Basileæ excusum de officio pii,

&amp;

& publicæ tranquillitatis verè amantis viri in hoc religionis dissidio, jam circumferri in Galliâ, quem Author mihi narrabat se Duysburgi delineâsse. Audiebam etiam, te, quod mirabar, illi consilio vehementer iratum, dira minitari; sed non credebam, te tam mihi, & illi esse infestum sinē ullâ causâ. Saltem nihil quidquam eam rem totam ad me pertinere constabat. Redeo itaque securus in Galliam, & ad eum Regem, qui me amandârat, refero responsa manuscripta iis de rebus, de quibus quærebatur. Utinam ea nunc mihi edere liceret, quæ fortasse edentur aliquando! Certè tuæ intemperantiæ, quæ ne rumorem quidem bonorum consiliorum ferre potest, furor magis pateret.

Interea quid tu temulentis tuis suspicionibus, & melancholicis phantasmatibus procul in tuo specu indulgens, in me, nihil meritum rale, nihil tale exspectantem, repente evomueris, in quem, quasi hippomanes \* haufisses, tumultuando incurristi, testes facio famosos tuos libellos; testes facio sapientes, qui, re, & causâ cognitâ, mirati sunt: quæ te rabies ageret; testes facio DEUM, & Angelos, qui ultores erunt, & vindices istius tuæ immanitatis. Relegatur CASSANDRI libellus, qui

S 5

hic

---

\* Frutex est, equis præsertim, si eo vescantur, aut succum expressum bibant, lethalis, eos ad furorem incitans.

hic est recusus, ab Authore auctus, interea  
dum ille tuis calumniis respondebit: relega-  
tur, quid in me propterea cructaveris: & ju-  
dicium esto penes viros bonos, & integros.  
Iterum verò judices obtestor, mihi ut veniam  
dent, si, cùm non desinas contumeliosè agere,  
ego de injuriā conqueri nondum desino; per-  
fringas licet omnium legum vincula: Ignoscat  
etiam mihi DEUS, qui etiam tanquam ob-  
torto collo invitum me trahi, adigique videt  
ad hanc necessariæ defensionis tristissimas  
contentionem.

Age, ad rem aliquid dicere videris, cùm,  
quas de calumniā leges tibi objeci, eas nunc  
in me retorques, quia dixi, BUCERUM te  
aliquando objurgāsse, quod judicares, prout  
amares; amares autem, prout libet. Hic enim  
demum confidenter exclamas, te DEUM, &  
angelos ejus testari, id abs me improbissimè  
esse confictum: & hanc diram imprecationem  
addis; ITA verò mihi propitius sit DEUS,  
*si quid unquam tale audierim.* Bona verba, mi-  
JOANNES; oblivioni potius tuæ DEUS ignos-  
cat: Quid enim alioqui te miserius est? Ni-  
hil me confinxisse, ipsa, ipsa manus tua, quæ  
hic extat, & à sexcentis agnita est, testis est:  
tua (inquam) epistola, manu tuâ ad BUCERUM  
scripta, quam ne ipse quidem, si videoas, ne-  
gabis. Non patiar, ut, quod tu illiberaliter  
facis, privata epistola, sine consensu scripto-  
ris

ris in publicum edatur. Tibi potius eam red-  
di, si vis, curabo, quæ nescio quomodo, ex  
Argentinâ huc perlata est. Sed ut sexcenti,  
quibus manum tuam ostendi, de eâ testimo-  
nium dicendo, testes erunt meæ bonæ fidei,  
& tuæ, ut video, oblivionis: sic etiam ut  
epistolæ tuæ tibi interea magis, arque magis  
memoriam renovem, dico eam esse, cuius ad  
BUCERUM tale est principium: *Cùm literæ tuæ  
mibi sub cœnam oblatæ essent, tanto gaudio per-  
fusus fui, ut non meminerim, tribus totis men-  
sibus lætiorem mibi horam affulsiſſe.* At cùm eas  
super cœnam utcunque percurriſſem, lectione ipsâ  
sic fui flagellatus, ut proximâ nocte irrequietus  
continenter æstuārim, nec toto post triduo planè  
fuerim apud me ipsum &c.

Si, ut certior sis, ejus etiam epistolæ finem  
recitari tibi velis, postremum caput est; *Fru-  
stra mibi excusas, novo Papismo erigendo te non  
studere: sed vellem aliis omnibus sic exploratam  
esse puritatem tuam, ut ne suspicione quidem lo-  
cum relinqueres.* Frustra etiam id, te dare ope-  
ram, ne quid Calvinismi admisceatur. Si à  
scripturâ semel defleſtendum sit, non ignoro, quâm  
sit tolerabilior Bucerissimus, quâm Calvinissi-  
mus &c.

In illius, inquam epistolæ tuæ, quæ pro-  
lixia est, medio leguntur hæc abs te scripta:  
*Judicare me scribis, prout amo; amare prout li-  
bet. Ergone sic me despere censes, ut nullum  
habeam in amando delectum, vel ordinem?*

Nunc

Nunc vide mi JOANNES, an hic ego confinxerim quidquam : simul vide, quænam dejeratio, detestatio, devotio sit, cùm, si verum sit, quod nunc vides esse verissimum, DEUM, ut tibi malè sit propitius, invocas, & veluti adjuras. Ecquò ruis, ô miser, cùm ad tales imprecationem te adigit cæca impotentia tuæ iracundiæ? Profectò malè tecum ageretur, si summo jure tecum ageretur. Ergo disce deinceps cavere tibi magis, cùm aliquid negabis. Disce loqui minus confidenter, & religiosè magis. Ego nunc hoc uno contentus ero loco, & exemplo, ut fidem meam liberem, & de tuis recriminationibus judicium bonis omnibus, & cordatis permittam. Certè si quod unquam exemplum DEUS edidit tuæ vanitatis, cuius memoria te configeret, est istud, quod dico, & tamen in eo exagitando, quod possem, non immorabor.

Ceterùm nimis immane est, quod Satanam ore tam furiali vocas eum, qui τὴν διαβολὰν \* accusat. An, quia Satan Hebræis dicitur, qui à latinis adversarius, audes exclamare (quæ pugnantia sunt) adversarium τῆς διαβολῆς \*\* esse Satanam? DEUS bone! an hæc lingua, & oratio est theologica? Annon potius ἐνεργείαν \*\*\* esse te, aliquis putaret? Advocarem itaque

---

\* Caluniniam.

\*\* Calumnia.

\*\*\* Correptum à malo Genio.

itaque exorcistas; sed fortasse clamabis cum  
ULPIANO nostro, eos impostores esse; ut eos  
non dubitasti scribere fuisse ignotos Ecclesiæ  
veteri, quia magnificentia tua non dignatur  
meminisse, non eorum minus, quam Diaco-  
norum, in omnibus scriptoribus veteris Eccle-  
siæ fieri mentionem. Si hi, quos dirè, im-  
precationis ergò, vocas Satanas, honoris causa,  
te resalutent LUCIFERUM, credo, minùs irasce-  
ris: nam & gloriaris, te omnibus facem præ-  
ferre, & saepe in ore habes illud, quod HIE-  
RONYMUS scribit fuisse proprium Luciferianis,  
*de Ecclesiâ factum esse lupanar.* Sed ut tuam  
lucem boni sequantur, operam dato, ne mi-  
seram Ecclesiam iterum polluas. Nam si  
(quod nunc Gallia veretur) non aliam Refor-  
mationem instituas, quam avorum nostrorum  
memoriâ, ZISCA, Bohemus, omnes boni te  
fugient.

Sed terrible est, quod, ut occurras, toties  
ingeminas, nos esse Apostatas. Cur ita? quia  
conquereris, me abs te nunc descivisse, cùm  
tamen olim te valde coluerim. Probare priùs  
debebas, quod vehementer omnes pii, & sani  
pernegant, eum, qui à te, vel tuâ factione defi-  
cit, deficere abs CHRISTO, & ejus religione.  
Nunc, quasi eâ de re aut non quæreretur, aut  
nemo dubitaret, tu tam ineptus, & impudens  
es, ut satîs esse pures, si ostendas me abs te  
alienatum esse, & tibi tamen aliquando addi-  
ctum, deditumque fuisse. Id autem ut pro-

lixè probes (quod non erat neceſſe: id enim & ſæpe conſiteor, & palàm prædico) profers (quæ tua eſt proditoria fides, & illiberalis eductio) edisque in publicum multas, quas ab annis XVII. literas familiares ad te aliquando fortaffe ſcripsi adolescens, cùm te nondum nōſſem. Hic ego tibi responderem, quod in ſimili cauſâ HIERONYMUS respondit *Rufino.* Sed ut civilius agam adverſū hominem incivilem, contentus ero reſponſione CICERONIS ad *M. Antonium*, hominem (ſi dicere fas eſt) tibi in hoc genere non diſſimilem: *At etiam* (inquit) *literas, quas me ſibi miſiſſe diceret, recitatavit homo & humanitatis expers, & vitæ communis ignarus.* *Quis enim unquam, qui paulum modo bonorum conſuetudinem nōſſet, literas ad ſe ab amico miſſas, offenſione aliquā interpoſitā, in medium protulit, palāmque recitavit? Quid hoc eſt aliud, quam tollere ē vitā vitæ ſocietatem?* *Tollere amicorum colloquia absentium? Quam multa ſolent eſſe in epiftolis, quæ prolata ſi ſint, inepta eſſe videantur?* *Quam multa feria, neque tamen ullo modo diuulganda?* *Sit hoc inhumanitatis tuæ &c.* \* hæc ille. Audis humaniſſime JOANNES, elogium tuæ editionis: neque, quam religione talem, tamque Antonianam barbariem tuam ornabis, video.

Quid ſi exemplum nunc tuum ſecutus, vi- ciſſim ederem, quas olim ad me ſcripſisti li- teras

---

\* Oratione Philippicâ II. N. 7.

teras familiares? Quibus quidem certè me adolescentem propè incantasti, & blandiendo in fraudem pelle existi. Sed absit, ut malitiosam tuam futilitatem imitari videar. Interea tamen alios monebo, quicunque ad te scripturi sunt, sibi ut caveant, & meo periculo sapiant, discantque, ad quem, quamque fidellem virum scribant, cum ad te scribant. Vetus est illud:

*Fingere qui non visa potest; commissa tacere  
Qui nequit; hic niger est; hunc tu, Romane  
caveto.* \*

Vetus illud est Symbolum Pythagoricum: μὴ γένεσθαι τῶν μελανώρων \*\*: vetus, & sapiens admonitio PLUTARCHI interpretantis: μὴ συνδιατέμενον μέλασιν ἀνθρώποις διὰ κακού-θειαν \*\*\*. Ut autem nostri insidiatoris, qui jam pridem coquebat, quod nunc vomuit; & jam tum, cum ad me scribebat, meditabatur, quod jam facit, malitia notior sit: quicunque eas literas leget, testes animi mei, optimorumque affectuum, & cum tuā, quam adjunxisti, responsione comparabit, næ ille barbaram tuam inhumanitatem detestabitur; nullum ut potue-

\* HORATIUS Lib. I. Sat. 4. v. 84.

\*\* Ne converseris cum habentibus nigram caudam.

\*\*\* Ne studium, & operam ponas cum nigris hominibus propter morum malignitatem.

potueris majus proferre testimonium tuæ perfidiosæ (si apertè dicendum est) improbitatis; quâ quidem speras, crudelis, fore, ut hic odio tui oppressus pessunder. Sed DEUS, ut spero, tua sæva, atque insidiosa consilia disturbavit; & quod in me contorques, in caput tuum recidet, augebitque infamiam tuam.

Age verò, ecquid conficere vis cum illis epistolis? Probabis, me adolescentem, rerum imperitum, temerè putasse, Religionis, cuius studio, quo etiamnum teneor, flagrabam, te Doctorem magnum esse: putasse, te virum bonum esse, & religiosum: te ecclesiæ reformatæ curam seriò suscepisse. Denique probabis, me hâc opinione factum fuisse propè Calvinolatram, vel in te colendo Idololatram. Erravi, fateor; sed illius meæ cœcitatis, atque stultitiæ, vel amentiæ (quam tamen mens bona, & religiosa incitavit) sati magnas do, dèdique pœnas. Quid de jacturâ, & damno rei familiaris, vel XX. annorum ærumnis conquerar? Interea dum adolescentis amens, meique oblitus, & malo, credo, carmine incantatus, tibi servio, & obsequor, perdidì, perdidi optimos adolescentiæ florentis annos; meliores, inquam, illos annos infelix perdidi.

Nunc ut mercedem aliquam rependas, ô crudelis, amanti, & propter te propè misero, & jacenti etiam insultas. Tu meretricios, & turpes,

turpes, & obscenos amores quorundam, qui tibi nunc intimi collegae sunt, suaviter tegis; & ferre non potes, me deperiisse pueriliter tuam, cuius tunc ulcera ignorabam, consuetudinem, quae tamen quanti mihi constet, non ignoras? Certè cum propterea me laceras, quid aliud, quam truculentiam tuam prodis magis, atque magis? Ergo quicunque usquam estis amantes Religionis Christianæ, cavete, ne imprudentes huic larvato Antistiti multum tribuatis: cavete, exemplo meo, ne eum collatis, laudetis, admiremini nimium; ne, si forte postea (ut lex ait) emergat celata morum improbitas, vobis integrum non sit, eam non colere. Ille per me vobis denuntiat, se irrisurum vestram simplicitatem, vel, ut vocat, fuitatem: scilicet per suam modestiam diutius pati non potest, divinos sibi honores deferri; neque plus sibi tribui vult, quam mereatur.

Age, vir modestissime, cum omnibus probaveris, me cœcā tuī admiratione, & errore cœco magnam, bonāmque de te olim opinionem concepisse: quod aliud, quam fraudem allegabis tuam, & probabis, tectā simulatione, atque hypocriti tuā deceptam fuisse meam credulitatem: vidisse me verò postea illud, quod clam alebatur, monstrum, idque tam deformē, ut ejus conspectus coegerit me idolum repudiare, quod imprudens alioqui propè adorabam? Oportet profectō vehementer  
T fuisse

fuisse causam, quæ me abs talibus, tamque immoderatis amoribus revocare potuerit. Et tamen is pudor fuit meus, ut, nisi tu de hac ab alienatione prior verba palam fecisses, de eâ vix alii audiissent quidquam. Sed neque intemperies tua faciet, ut, si in amando non tenui modum, non teneam in divertendo. Denique nunquam probabis, me aliquid interea fecisse contra veterem amicitiam, quatenus, salvâ religione, possem.

Non potui, fateor, semper tam valde, quam feceram antea, te observare, ubi te alium, quam putabam, esse vidi; neque religiosum esse sensi, quod velle videris, ut te Gallia collat, sicuti Græcia olim coluit T. FLAMINIUM, victimis, & sacrificiis. Sed, quod ab homine ingenuo, & Christiano desiderari officium posset, in eo me constantem & esse, & fuisse dico, &, donec aliud probaveris, constanter affirmabo. Neque verò dissimulo, errasse te vehementer, si putasti, cum me in tuos olim numeros referres, etiam me jurasse, tua signa, quocunque rueres, secuturum esse. Memini, quendam olim BLOSIUM Cumanum, qui Tit. GRACCHI partes secutus erat, à LÆLIO interrogatum: Quid, si te GRACCHUS Templo Jovis Opt. Max. faces subdere jussisset, respondisse, id quoque se fuisse facturum, si jussisset. Etsi multos habere te jactes, tam valde tibi addictos; tamen ne fallaris, jubeo, ut me

me eorum numero eximas: nunquam enim putavi, religionem esse latrocinium, & impo-  
sturam. Quid? an me tam perditum esse un-  
quam putasti, ut te CHRISTI loco locarem?  
Aliis, si potes, persuadeas, quod impudentissi-  
mè jactas, eos, qui à te desciscunt, abs CHRISTO  
desciscere: ego quidem certè, quantum inter-  
te, & eum intersit, scio: & ut ad illum pro-  
piùs accederem, conscientia mea me coëgit ab  
novis tuis consiliis, & conspiracyibus seces-  
sionem facere; tametsi id fecerim sinè tuâ alio-  
qui ullâ contumeliâ.

De te igitur, de personâ tuâ, de tuis mori-  
bus quæstionem nunc esse, scito, &, alios id  
scire, intelligito. Cautè tu quidem, qui  
CHRISTUM, qui Ecclesiam, qui Religionem  
substituere in tali reatu velles; sed nihil agis,  
ô bone! fraus hæc (ut dixi) manifesta est.  
Ergo aliquando desine perturbare, & permis-  
cere statum causæ. Quia de factione tuâ di-  
ctum aliquid fuit, exclamas, sic factiosum fui-  
se JEREMIAM, sic Prophetas, sic CHRISTUM, sic  
Apostolos. Quæ tandem est hæc comparatio?  
Tûne hoc tempore, tu (quid dicam?) hoc re-  
rum statu audes tua acta Sullana cum Prophe-  
ticis, atque Apostolicis conferre? Evidem-  
olim, cum aliquid esse simile putabam, quia  
scitè, nescio quid, simulabas, id ferre potui:  
at nunc cùm longè aliud & agas, & agere te  
omnes videant, nimis impudens est tua jacta-  
tio.

tio. Memini, quod AUGUSTINUS narrat, *Julianum* illum, Pelagianorum gloriosissimum Du-  
cem, solitum esse impudentissimè jactare, se  
esse ex agmine Patriarcharum, Prophetarum,  
Apostolorum. Sed ut te ejus agminis signife-  
rum esse probes, oportet, alia signa, quām quæ  
nunc præfers, attollas. Interea liceat mihi,  
bonâ tuâ gratiâ, missionem impetrare, & ve-  
niā, si CHRISTI signa sequar, & à tuis pau-  
latim divertam.

Evidē miror, cūm tam liberalis, atque  
facilis sis in dissolvendis non modò votis,  
sed & conjugiis, & quidem in divortiis facien-  
dis, tantum tibi tribuas, ut domi tuæ fratrem,  
priori uxore repudiatâ etiamnum superstite,  
alterius maritum esse jubeas; te nunc tam se-  
verum esse in adstringendâ obligatione vel  
monasterii tui, vel tuorum numerorum, atque  
castrorum. Ergo deinceps sibi caveant, qui  
sapiunt, ne temerè tibi dent nomen; ne un-  
quam sit iis integrum discedere ab societate,  
quam postea fortasse sentient non esse, quod  
dicebatur. Ego quidem certè tui sacramenti  
militaris conditionem, quam nunc dicis, non  
accipio: &, si excipias, nullâ mihi exceptione  
olim cautum fuisse, de dolo tuo replicabo:  
Saltem minoris ætatis defensione utar, restitu-  
tionémque in integrum ab æquo Prætore im-  
petrabo.

Vis,

Vis, exemplis bonis præterea utar? Cùm olim AUGUSTINUS, adolescens, in Manichæos, & EPIPHANIUS in Gnosticos incidisset, & iis imprudens uterque nomen dedisset; deinde verò cùm sentiens, quo eorum secta tenderet, pedem referret; clamitabant illi quoque, esse *ἀποστατας*\*. Fortasse contumeliosus essem, si te cum iis conferrem: tantum abest, ut id velim; sed dico, tam mihi licere abs tuâ novâ factione, ubi abs religione deflextit, desicere, quam AUGUSTINO, & EPIPHANIO fuit necesse, ut ad CHRISTI Ecclesiam redirent, deserere Gnosticorum, & Manichæorum conjurationem. Quid præterea tibi multos laudem, quos AUGUSTINUS laudat, quia Donatistarum, & Circumcellionum conjurationem, cui imprudentes subscriperant, deseruerint? Vis, uno verbo dicam? Cùm te, vel tuum Librarium audio περὶ ἀποστατας\*\* jus dicentem, videor mihi audire Donatistas in suâ Bagajensi Synodo pronuntiantes de Maximiano, & ejus optimis collegis. Et ut breve faciam, sententiam tibi unam opponam, quam hodie legi; tu nondum audiisti. Cùm his diebus historiam Donatistarum colligerem, & eo nomine OPTATI libros contra Parmenianum, Donatistam, non solum excusos, sed & manuscriptos evolverem, incidi in eum locum, quo refellit

T 3

Dona-

\* Apostasiam.

\*\* De Apostasiâ.

ulia-  
Du-  
, se-  
um,  
nife-  
quæ  
nihî,  
& ve-  
pau-  
  
utque  
zotis,  
cien-  
trem,  
ristite,  
n se-  
e vel  
atque  
, qui  
e un-  
etate,  
quod  
menti  
, non  
ptione  
cabo:  
estitu-  
re im-

Vis,

Donatistas, qui aliis objicientes, quod committabant, *Fannem*, & *Mambrem*, \* cum pacificis (ut ait) catholicis comparabant. In eo libro inquit OPTATUS: *Nullus eorum debet argui, qui de Collegio vestro ad pacem transitum fecit. Qui fuerant sinistrâ opinione turbati, simplici, ac purâ veritate firmati sunt &c.*

Nondum, video, desinis calumniari. Ne fortè videaris aut nugari, aut nihil agere, nihil non moves, & fingis; etiam DUARENUS testimonio uteris: quid ineptius? Si ille me, cùm istuc item, transfugam vocabat, an propterea tu, quia huc sum reversus, Apostamat esse probas? Quis non obstupescat, te tantum Dialecticum hæc tam malè cohærentia portenta connecctere? Ita est sanè: cùm tu me involvere frustra conaris, mirabiliter te implicas. Ego ut me liberem, & tibi satisfaciam; & cùm tu extra rem multa misceas, ego ad rem dicam aliquid, non modò περὶ ἀποστασίας \*\*, sed & ἀποστίας \*\*\* breviter respondebo. Dici de utrâque ejus generis veluti thesi copiosè posset: sed otium mihi nullum concedunt tui tumultus Galliae perturbatae; ac nequidem Bibliothecam ex Germaniâ meam huc referri hactenus passi sunt: & adversariis propterea tuis armis potius, quàm libris nunc meis

---

\* II. TIMOTH. C. 3. ¶. 8.

\*\* De Apostasiâ.

\*\*\* De libello Repudii.

meis septus, tumultuariè dictare cogor, quod respondendum tibi est: ut tibi jam brevior in uberi argumento sim, tu talibus impedimentis veniam des.

Scis, in Evangelicis literis *ἀπόστολον* appellari libellum, ut vocant, repudii. Ego si te res tuas tibi habere, atquè agere jubeam, vel conditione tuâ me non uti, antiquâ formulâ dicam; divortium justum esse contendeo. Id ut liqueat, nunc de moribus judicium vetus instituendum esset: in eo si me cegas causam dicere, liquidò probabo, te causam divortio deditisse. Sed, honoris tui causâ, peto, ut hic imitari possim pudorem PAULI ÆMILII, ut ejus verecundo responso sim contentus. Certè nulla me res alia absduxit abs tuâ consuetudine, inque viam revocavit, quam quod eodem semper animo persequar studium rectæ pietatis, quod mihi à primis annis fuit insitum; sed à quâ (cogor ingenuè fateri, quod sentio) mihi deinde visa sunt deflectere tua, tuorumque & consilia, & facta minime religiosa. Quænam ea sint, noli abs me querere: tu enim satîs nôsti; & patent; & quædam sunt, quæ abs verecundo adversario nunquam audies. Et licet plura nunc abs me non elicias; illa satîs esse possunt, ut etiam plures, qui fortasse sunt effascinati, tandem oculos, exemplo meo, aperiant, &, te relieto, ad se redeant. Licuerit fortasse antea vel tecum, vel in tuo

cœtu communicare, cùm religionis species, vel probabilis error simplices alliciebat: nunc quâ conscientiâ id possint, non video. Ego quidem certè jam fateor, me non posse.

Appelles, si vis, defectionem, si quis aut factionem tandem tuam fugiat, aut tuam semper sectam non sequatur. Sed an ullus unquam impostor fuit tam Tyrannus, ut capitale esse statueret, si quis imposturam odisset? Et quis tu es, qui, quos religio retinet, ut te deserant extra metas excurrentem, reos facis τῆς ἀποστασίας \*, hoc est, ejus criminis, quod meliori jure in te retorquetur? Si pateris, nos hoc loco intelligere illam ἀπόνησον ἀποστασίαν \*\*; cuius meminit PLUTARCHUS, fatebimur nos esse Apostatas: sed si verbo, quo ute-  
ris, significare aliud velis, cogimur perditissimo calumniatori reclamare: ac nisi si dolo-  
rem justissimum reprimerem, audires, ô no-  
ster προσάντης \*\*\*, quod mereris. Jam pri-  
dem tu quidem impune ita ludis, ut, quod in te dirigitur, in CHRISTUM detorqueas, & ita  
agas, quasi Ecclesia CHRISTI, & factio tua,  
religiōque Christiana, & persona tua, eadem  
res esset. Et verò aliquam multitudinem ef-  
fascinasti, ut non discernat, quantum interfit:  
sed an omnes Gallos tam fungos esse putas,

ut

---

\* Apostasiæ.

\*\* Minimè malam Apostasiam.

\*\*\* Imperator, seu Legifer.

ut neminem sentire, & videre putas, te improbè miscere, quæ valde diversa sunt, & inter quæ magnum est intervallum, *nāj ἀπόστολος* \*, sive *διάστασις* \*\*?

Scio, magnæ artis olim fuisse hanc actionem tuam: sed jam nimis vulgare, & notum est hoc artificium; & est tam attrita, quam toties obtendis, larva, ut ne pueros quidem terreat. Fuit quidem certè hoc etiam olim familiare non modò Hæreticis, sed & Schismaticis, ut Ecclesiæ quoque Catholicæ titulum suæ factio- ni adscriberent. Sed quis eorum impuden- tiam non rideat? Eat nunc noster Salmoneus, & bruta sua fulmina ejaculando percellat Gal- liam trepidantem. Scilicet hoc ejus verbum est: *Æra sonant Coribantes; expavescite, pueri.*

Memini, quod AUGUSTINUS narrat, olim Petilianum quendam, Donatianorum Apostalarum Ducem, & Episcopum, clamitare soli- tum esse: *Totus mundus apostatavit: Nos autem in Ecclesiâ permansimus, tanquam duæ illæ tribus in populo Dei.* Jam pridem tu eodem ore canis eandem cantilenam: sed si id poste- ritati persuaderi velis, diligenter, quām nunc facias, contine, ô magne Tribuæ, tuam tribum. Tu in priori tuâ contra me declamatione Ec- clesiæ, à quâ defecisti, comparas cum decem

T 5 tribu-

\* Distantia.

\*\* Intervallum.

tribubus Israelis, quæ Jeroboam secutæ sunt: itaque tuam Synagogam vis haberi pro Regno Judæ, pro duabus, inquam, illis tribubus, quæ Roboamo paruerunt. Sed hæc tua ja-  
ctantia quid est aliud, quām recocta crambe Donatistarum? Quid verò Donatistis respon-  
derit AUGUSTINUS, etiam relegito, & quidem,  
si potes, animo sedato, docili, religioso. Ut  
verum tibi dicam: illi, illi libri AUGUSTINI,  
quos, postquam abs te discessi, legi, revocâ-  
runt ab eâ, in quâ & novos Circumcelliones  
videbam, factioне: & optarem, ut, qui in  
Galliâ etiamnum eo loco sunt, quo fui, libros  
illos religiosè legerent. Si illi te urunt, mihi  
irasci non debes: si iis subscribere vis, dele,  
quam mihi dicam scripsisti: nam iterum pro-  
fiteor, me in AUGUSTINI sententiam ivisse,  
quam Christianam esse sentio; neque, ut ab  
eâ deficiam deinceps, facile efficies. Si eum  
Judicem recusas, & actum agere vis; saltem  
cùm litigas περὶ ἀποστασίας\*, ut liqueat quid  
velis, priùs definito, quidnam ea sit: deinde  
siquem eo nomine reum facere vis, appositè  
ex eo generè repe, & expone speciem cri-  
minis, & proba, quod objicis: nam falleris,  
si solo sive sibilo, sive crepitu, conficere pu-  
ras, quidquid tibi libet.

Prius illud præstitisse te, fortasse dices;  
quia subornâris nostrum quondam CRISPINUM,  
tuum

---

\* De Apostasiâ.

rum librarium, ut ederet, nescio quem,  
*Commentarium ad L. M. C. de Apost.* Evidem  
primum tibi gratulor, quod tam consulta ha-  
beas mancipia, tamque paratos tuo sumptu  
consiliarios, eosque non ad imprimendum  
Jus modò, sed & ad scribendum, dicendum  
que Jus paratos, & quidem (ð tuas, Gentis-  
que tuæ Domitiæ deliritates!) Aenorarchos.  
Deinde nostræ Patriæ etiam gratulor, & ad-  
miror tuam felicitatem, quod eum, qui di-  
cebatur desiisse esse Jurisconsultus, ut fieret  
librarius tuus, nunc rursus ex librario re-  
pentè facere potueris Juris utriusque non mo-  
dò consultum, sed etiam interpretem. Ve-  
rūm molestè fero, commentarium illum,  
quem in scriptis, & paginâ primâ tuæ farra-  
ginis pollicetur, nondum huc perlatum esse,  
& sine appendice tam nobili farraginem tuam  
tam mancam, & imperfectam in Nundinis  
Francofordiensibus vniisse conqueror: & quia  
pro integrâ est vendita, ex empto contra ven-  
ditores malæ fidei, institoresque tuos agen-  
dum esse putarem, nisi si de dolo malo po-  
tiùs agendum esset: nam Edictum Ædilitium,  
ex quo tales merces redhibere possem, non  
satis esset ad puniendam tuam fraudem.

Age, etsi *Commentario* tuo, & *Glossâ* tui  
Interpretis careamus, conabimur tamen Le-  
gem, ad quam nos rejicis, utcunque intelli-  
gere; gratiásque tibi etiam agemus, quod  
tandem

tandem aliquando Leges, quas haec tenus superbè contempseras, ex JUSTINIANI nostri libris repetitas, Judices esse non nolle videaris. Ceterum librarius debebat *L. III. C. de Apostat.* priori loco proponere, ut abs definitione ordiretur suam disputationem, hoc est, ab ejus constitutionis eâ parte, quæ, ne hujus (ut ait) interpretatio criminis latius in incerto vagetur errore, definit, Apostatas appellari, qui nomine Christianitatis imbuti, sacrificia sacrilega vel fecerint, vel facienda mandaverint.

Nescio, an hic tuus servus, quia est Licentiatus utriusque Juris, malit definitionem Apostatarum repetere ex Jure Canonico: sed suum prælum vix exercere posset, nisi si servis uteatur iis, qui eo Jure dicerentur Apostatae. Evidem non possum divinare, quid talis Legislator, qui scribit ad Jurisconsultos de Apostatis, sibi velit, donec Commentarium ejus legero. Sed interea suspicor, eum ex Jure Civili definitionem potius repetere; præsertim cum speret, fortasse ex eâ efficere posse, omnes Jurisconsultos esse Apostatas. Cur ita? quia Ulpianus ait, eos appellari Sacerdotes: ACCURSIUS verò eo loco annotet, esse Sacerdotum, facere Missas. Et fortasse hic error fecit, ut tuus librarius defecerit ab ordine Jurisconsultorum, ne & ipse Apostata judicaretur. Quām verò obstupescet, si addidero ex Cod. Th. Legem Constantis, & Constantii AA.

EJ

¶ C. solis Advocatis dandum esse Provinciæ Sacerdotem? Ad quod Sacerdotum Dictionarium, ut se expediat, confugiet bonus λεξικογράφος? \*

Non possum non jocari in re licet seriâ, cum video ridiculam istius sive Doctoris infidiam, sive censoris arrogantiam. Jam etsi fortasse aut nescit, aut fateri nolit, tam antiquum esse Missarum verbum, quam est illa constitutio, quam laudavi; tamen suspicor, si rogetur, quid cogitet, cum in eâ legit sacrilega Sacrificia: Missas, dicet. Sed nisi rursus definiat, quid, cum eas dicit, intelligat, vereor, ne confusâ, & ambiguâ voce ipsum etiam AMBROSIUM, qui certè vixit ante illam Legem, significet fuisse Apostamat: AMBROSIUS enim se Missam fecisse ait. Negabit hoc fortasse Auditor tuus: non enim id istic audivit unquam. Sed legat AMBROSI epistolas, & discat, quod nondum didicit: quanquam rursus sit illi necessarius aliquis commentarius, ut intelligat Ambrosianam Missam, &, quid olim hoc verbo significaretur, &, quid esset, discernere possit noster Interpres antiquitatis. Imò verò dicet, se ignorare, quod in tuis toties castigatis Institutionibus (tuos enim propè solos ut excudit, sic legit libros) etiamnum legitur, Missam olim dictam esse abs muneribus, quæ mittebantur. Ergo vereor, ne nos

ster

---

\* Vocabularius.

ster librarius malit esse municeps, quām munificus, ne propterea sacrificus, &, quod consequens esse putat, Apostata esse judicetur.

Ignoscat iterum mihi Lector, si nondum desino jocari in re seriā. Quis non rideat istorum Magistrorum tam putidas, superbāsque ineptias? Si, ne longius abires, per tuas delicias tibi licuisset, illius, quem pro tuā civilitate Lamiam in sterquilinio jacere scribis, vir fortissime, atque mundissime, commentarios evolvere; potuisses non ignorare, missam olim Christianos vocāsse, ut vocabant Collectam; & hanc, cūm populi concio congregaretur: illam, cūm dimitteretur, vocem frequentem fuisse. Quām obstupescet doctissimus tuus Interpres, simul & Chalcographus, si dicam, Missam quoque olim appellatam fuisse illam Collectam, ubi neque Sacratmenti, neque Sacrificii ulla erat memoria? Sed hæc, & hujus generis plura, quæ tecum ignorat, mecum adiscet, ubi etiam scire volet, quænam olim rectè judicatæ sint esse Missæ (ut appellabantur) legitimæ. Interea ut hoc verbo, quod etiam finē re odit, minus offendatur, eum, & te moneo, extare in ipsis Pandectis Flor., veteresque jurisconsultos appellāsse Missam, ubi de repudio missō agitur. Quam significationem si admittat tuus Leguleius, non negabo, me, cūm à vobis diverto, vósque missos facio, Missæ reum esse. Sed ad rem; nam plus satīs jocati sumus.

Nemo,

Nemo, credo, tam insulsus, præter tuum Typographum est, qui ignoret, in illâ, quâ de agitur, Constitutione Sacrificia sacrilega vocari ea, de quibus agitur *Cod. de Sacrific. Pagan.* neque tamen recuso, quin post CHRISTI tempora eodem loco habeantur impiorum Judæorum Sacrificia. Itaque & in *Lege CONSTANTII*, si quis ex Christiano Judæus efficitur, judicatur Apostata: & in Constitutione THEODOSII, deserteræ religionis reus esse dicitur, qui ad Sacrilegia templorum, vel ad ritus Judaicos transiit. Hinc aestimare licet, Apostatam in hisce Legibus appellari, qui abs CHRISTI Religione desciscit ad Judaismum, aut Paganismum. Sic Julianus ille dictus est Apostata, quem AMBROSIUS appellat Prævaricatorem, & EUSTACHIUS παραβάτην \*.

Non puduit interea hunc Tyrannum Leges ferre de Apostatis. Si hoc est, ut est, indignum; non indignius est, te definire, Apostatas esse, quicunque tua signa, etiam cum ea audes, quæ religio CHRISTI vetat, non sequuntur, & adversus hos tamen velle detorquere veteres Christianorum Leges de Apostatis? Videris, an cum Judæis, aut Paganis habeas aliquid commune in seditionibus, prætextu religionis excitandis.

Ego verò profiteor, si à tali factione deficiam, religiosam esse ἀποστασίαν \*\*: si hanc haeresin

---

\* Transgressorem legis.

\*\* Apostasiam.

hæresin esse putas, dicio, quænam sit. Certè Mahometanam esse non dices. Evidem me mini, CYPRIANUM scripsisse, Novatianum olim voluisse *Sacrificia sacrilega offerre*. Loquitur autem de eo, qui (ut ait) profanum Altare erigere, & adulteram Cathedram collocare tentabat: *Qui (utar CYPRIANI verbis) nitebatur adulter, & extraneus Episcopus fieri à desertoribus: qui post connexam, & ubicunque conjunctam Catholicæ Ecclesiæ unitatem, humanam conabantur Ecclesiam facere; & per plurimas civitates novos Apostolos summittebat, ut quædam recentia Institutionis suæ fundamenta constitueret: cùmque jam pridem per omnes Provincias constituti essent Episcopi, creare alios Pseudoepiscopos audebat &c.* Agnoscis, bone vir, CYPRIANI verba de Novatiano, sacrilega sacrificia offerre volente. Nunc vide, an nihil tibi cum eo sit commune, nihil simile. Nos tales nebuloneim, omnésque ejus similes, sive impostores, sive desertores, sive novatores, execramur.

Quid præterea sibi vult librarius tuus? Scit, me à primis annis nihil non fecisse, atque etiam nunc facere, ut eos fugiam. Scit, me neque esse, neque fuisse sacrificum; imò verò sacrorum omnium ignarum esse me, tu illi dictâsti, & id suis ille typis statim consignavit: *Sacrilegum* quidem certè (credo) non dicet, nisi fortè ut OVIDIUS sacrilegum vocavit *Lycurgum ob contempta Bacchi sacra*. Sed si vellem

Certè  
 n me-  
 i olim  
 quitur  
 e eri-  
 e ren-  
 ebatur  
 rtori-  
 nctam  
 maba-  
 vitates  
 recen-  
 ueret:  
 consti-  
 scopos  
 PRIANI  
 ca of-  
 i cum  
 m ne-  
 posto-  
 amur.  
 tuus?  
 atque  
 t, me  
 ò ve-  
 tu illi-  
 gnavit:  
 dicet,  
 it Ly-  
 Sed si  
 lem

vellem de arcanis vestris, sive Sacris, sive Sa-  
 cramentis, sive Sacrificulis vicissim dicere,  
 qualem putas ἀποστασιαν. \* describerem?  
*Hominum*, dicerem, à fide descendentium, si,  
 fraudem contrariam esse bonæ fidei, latinè li-  
 ceat dicere. Si, inquam, mihi nunc liceret  
 (sed liceret, si vellem) vestrorum consiliorum,  
 atque arianarum communicationum mysteria  
 evulgare; sentires, te non tibi satis cavere,  
 cùm tam confidenter alteri objicis, quod tibi  
 proprium est. Sed si hanc ætatem lateant tam  
 subtile tuarum actionum infidiae; at certè  
 posteritati non erit ignota Historia. Interea  
 infelix tuus Librarius, qui balbutit de suis  
 Apostatis, viderit, cum quibus ipse quotidie  
 communicet; ac, si alios accusare velit, priùs  
 se liberet: saltem liquidò probet, quod inten-  
 dit. Nam turpe esset, eum, qui non vulc  
 videri defecisse ab ordine Jurisconsultorum,  
 hanc primam Juris Gentium Regulam non te-  
 nere. An, ne non Discipulus tuus videatur,  
 vis, exemplo eum tuo palam calumniari, at-  
 que improbè mentiri, ut & habeas socium in  
 dependendā calumniæ pœnā?

Sed ogganniet, et si in Galliâ neque Ju-  
 dæi, neque Pagani suo more sacrificent; ta-  
 men alia esse non minùs sacrilega Sacrificia.  
 Quænam, O vindex sacrorum! Ineptus ego,  
 qui istud ab isto Mancipio prælorum, tan-

U

quam

---

\* Apostasiam.

quam ab aliquo veteri Rege sacrificulo petam,  
cùm tamen non modò, quid sacrafacere, sed  
etiam quid facere sit, vix sciat. Fortasse ex  
illà scurrili, quæ istic excusa est, Anatomiâ  
serabit, & proferet aliquid pudendum, quod  
rideat, ego deplorem. Sed si suis Authori-  
bus talia ulcera, si velit, affricet bonus hic  
Chirurgus. Neque tamen, si in Theatricam  
(ut isti Histriones faceti vocant) saltationem,  
ad contumeliam Nominis Christiani, conver-  
tat omnes Majorum nostrorum ceremonias,  
fecerit aliquid, quod non olim & ab Hæreti-  
cis factum sit, & NAZIANZENUS vidisse horret.  
Irridere verò, & ad ludibrium traducere si  
velit barbaræ Posteritatis solœcismos (quan-  
quam non magis, quod est vitiosum, ab in-  
tegro, quam, quod est novum, à veteri  
discernere sciat) per me sanè licet, ut in suâ  
scenâ saltitet. Ceterùm fingat, quascunque  
volet (ut vocant) abominationes, & eas,  
quantum velit, exagitet, nihil inveniet, quod  
mihi adscribere jure aliquo possit. Nam quid  
tandem est in iis, in quo meum sit crimen?  
Equidem nulla, nisi Christianorum, aut se-  
quor, aut agnosco Sacrificia; nulla, nisi Sa-  
crosancta, legitima, & Religiosa: nulla, nisi  
quæ, post Apostolos, in Ecclesiâ veteri fui-  
se, & piis omnibus meritò placuisse, didici.  
Detestor, & fugio, quæcunque vel vitiosa,  
vel impura esse scio.

Ariue

Atque ut utrumque liquidò cognoscere possem, suis, me hactenus nihil non fecisse, & constanter cùm res bonas defendisse, tum verò malas damnâsse. Neque, si vis, recuso, quin & disertè, & distinctè de iis agamus: Sed tuum est, priùs aliquam speciem exprimere, de quâ litigas. Interea videris, num sacrilega sit tuorum audacia, qui veterum quoque Christianorum sacra contumeliosè proculcant: saltem in iis importunè damnant multa, antequam ea intelligent: ut audax non minùs, quâm superba est inscitia istorum *νεωτερικῶν*.<sup>\*</sup> Certè concoquere non possum, quod tui quidam volunt, nostros Principes habendos esse pro Paganis, vel Ethnicis; & in Christianorum Templis, in quibus fateor, & doleo, multa esse corrupta, nihil aliud esse, quâm merum Paganismum. Meâ quidem certè nihil interest, etsi probes, eum, à quo bapsizatus es, fuisse (ut ais) Cybeles Sacrificum, aut etiam, si vis, fuisse Archigallum: sed Curetum, atque Corybantum furor est, immanis profectò furor, velle nos insanis clamoribus obruere, si de Christianis modestius loquamur. Memini, quid olim nostris objiceret FAUSTUS Manichæus: sed simul teneo, quid illi responderit AUGUSTINUS; cuius Librum saltem vigesimum contra FAUSTUM illum legant, velim, qui nondum legerunt.

Interea quid est, cur in me infilias cum isto tuo ululatu Corybantico? Si Sacrifici tibi molesti sunt; ego alienum factum præstare nec possum, nec debo. Neque tamen tuo crepitu tam valde me percellis, ut veterem Ecclesiam, saxum Cybeles esse dicam. Diruas, ædifices, mutes quadrata rodundis; quid hoc privatim ad me? Verùm cùm tu vis illud Horatianum: *Templa novo reparare sa-  
xo;*\* audebo dicere, malle me, redivivo: & id, credo, malunt, quicunque cum Ecclesiâ Rempubl. esse optant; proptereaque tibi, alio confilio aliud molienti, novum opus nuntiarent, si suâ nuntiatione, quasi quodam interdicto, efficere possent, ut tu cum tuis Fabris faceſſe-  
res, & meliores Architecti, qui se abs te ob-  
turbari queruntur, non modò ad farta tecta,  
sed & ad totius ædifici probam instaurationem  
tandem aliquando seriò urgerentur. Sed eā  
de re aliàs.

Nunc redeo ad legem de Apostatis, in quâ cùm imprimis sacrilegiorum fiat mentio, miror, tibi Apostatas non videri tam multos, qui Sacrile-  
giis onusti ad te deficiunt, atque confugiunt:  
nam etſi ii deinde tibi sacrificent, tamen eorum Sacrificia qui dicere possis non esse Sacrilega;  
imò quâ prece possis consecrare, ego, ut su-  
perstitiosus sum, vehementer addubito. Rur-  
sus

---

\* Lib. II. Od. 15. v. 20. RUTGERSIUS legit.  
*Templa novo decorare Saxo.*

sus autem miror, te, cùm, nequis nova tua  
sacra relinquat, terribilis eorum vindex, cum  
tuo librario, videri vis, nunc laudare, quam  
proponis, constitutionem de pœnâ Apostata-  
rum, cum non nisi intestabiles Apostatas esse  
velit: & vos non tam Solones, quâm Draco-  
nes, denuncietis supplicium capitum omnibus,  
non solum, quos, vestro more, definitis  
Apostatas, sed & qui capitales vobiscum esse  
recusant. Miror (inquam) quòd non laudetis  
potius illam de Paganorum sacrificiis legem  
capitalem, quam & laudat AUGUSTINUS Epist.  
**XLVIII.**, & ab ipsis quoque Donatistis lau-  
datam fuisse ait. Tolerabilius id fuisset, quâm  
quod tuus sive Hypodidascalus, sive Procu-  
rator, etsi NICEPHORUM detestari soleat, ta-  
men laudare non dubitavit, quod ille narrat,  
tempore ejus TIBERII Imper., qui post JUSTI-  
NIANUM imperavit, quendam *Anatolium*, qui  
Antiochiæ sacrificârat Idolis Paganis, cùm pro-  
scriptus tantum abs Principe, & judicibus es-  
set, abs fremente, & tumultuante plebe be-  
stis objectum esse, à quibus disceptus sit.  
Certè qui tale exemplum Populi seditione  
rentis adversùs rem judicatam laudant, atque  
ad imitationem proponunt, quid tandem agant,  
vix, credo, cogitant: nisi si jus non curent,  
qui hoc tantum curant, ut regnent; & reg-  
nandi causâ jus violandum esse audiunt; &  
fortasse sapiunt, qui, quo jure, quâ injuriâ,  
terrere, & continere suos initiatos volunt.

U 3

Sed

Sed quid noster cum suâ lege librarius? Ubi ejus Commentarium legero, audiam, quid tandem dicat de constitutione, quæ jubet Apostatas esse intestabiles. Fortasse, quia alias dixi, Authores famosorum libellorum esse intestabiles, quærerit recriminationem, & simili pœnâ dignam facti speciem fingit. Sed quid, si illi iterum objiciam, non modò Manichæos, sed & Donatistas, à quibus fortè minùs abhorret, lege quoque juberi esse sacros, & intestabiles? Quid, si addidero, non modò testimonio, & testamento, sed & commercio iis esse interdictum? Quo se vertet hic noster mercator, si eo jure teneatur? In quibus nundinis vendet suas merces? Sed (ut audio) boni, & simplices nostri censores legibus non utuntur, nisi in rem suam. Itaque cedo.

Mirum verò, quòd, istis de Pœnitentia, de Remissione peccatorum, de Dei Misericordiâ toties, & tam liberaliter declamantibus, rāmque lubenter omnes, ad eorum castra transfugentes, excipientibus, nunc tantopere placeat illa hujus constitutionis Clauſula: *Perditis, hoc est, sacram Baptismia profanantibus, nullo remedio pœnitentiæ, quæ solet aliis criminibus adesse, succurritur.* Suspicari aliquis posset, nostrum Judicem Apostatarum propemodum jam esse factum Novatianum. Sed dicet, se hanc Constitutionis Clauſulam intelligere de peccato in Spiritum Sanctum. Velim tamen, minerit,

minerit, ejus peccati dijunctionem DEI cognitioni, atque jurisdictioni arcanæ relinquendam esse potius, quam hominum arbitrio temerè committatur. Interea patior, ut statuat noster Librarius de se, suisque gregibus, an tale peccatum commiserint: verum ne statim alios judicet ex suo ingenio.

Evidem scio, veteres in Ecclesiâ multos, qui Novati alioqui Hæresin damnabant, docuisse, non nisi unam post Baptismum esse Pœnitentiam, & hanc solam post naufragium veluti tabulam superesse. Sed an audebit noster Interpres hanc opinionem suis commentariis attexere, quam in sui Magistri Institutionibus damnatam esse legit? Quid? In iis etiam legit, laudari hanc ipsius quoque CYPRIANI protestationem: *Patientia, & facilitas, & humanitas nostra venientibus præsto est. Opto omnes in Ecclesiam regredi. Remitto omnia, multa dissimulo &c.* Nunc quamridicula sit severitas nostri Catonis Censorii, æstiment Viri graves. Ego risu, & jocatione dignorem esse existimo, quam refutatione, præser-tim cum hominis, cum quo nunc mihi res est, ineptias nimium familiariter noverim. Ergo mihi alii ignoscant, qui hos Areopagitas non noverunt, si in re, licet seriâ, jocando potius, quam pugnando, abigam istas larvas, quæ illudendo terrere me volunt, quasi nescirem, eos, cum id faciunt, inter se se clam rí-dere.

dere. Evidem, ut olim CATO mirari se dicebat, si Aruspex, cum Aruspicem aspiceret, non arrideret; mirarer, si isti Collusores, cum domi sunt, inter se se risum continere possent. Quid igitur me torqueam, ut serio, pluribusque verbis eos refellam?

Quid ego nunc advocem Jurisconsultos, Principes nostri Ordinis, quos hic Nugator per meum latus confodere vult, ut togatum Collegium, à quo turpiter defecit, impiæ defectionis accuset? Quid, inquam, viros Doctos, & Excellentes Jurisconsultos advocarem ad depulsionem hujus injuriæ, & fugitivi Mancipi perquisitionem? Scilicet existimo, magno esse opus præsidio, ut adversus tuam impressionem se se defendat Ordo noster; & pati non possum, ut, qui se alteri mancipavit, perpetuam servitutem serviat, neque Ordinem, quo indignus erat, dedecoret suâ societate. Et verò quid tu, infelix chalcógraphe, cum tuis follibus eos lacefisis, quos miseret tuæ miseriæ? Me quidem certè nunquam commovebis tam valde, ut serio tibi irascer. Memini, quod AUGUSTINUS narrat de suo *Possidio*, quem duo Crispini, Donatistæ Calamenses, Episcopus, & Presbyter, indignè vexarunt: sed qui tamen reipsâ declaravit, non cupere se hostium suorum (ut ait AUGUSTINUS) vindictam, sed, si fieri posset, conversationem. Ego in CRISPINUM nostrum,

strum, quondam condiscipulum, & (ut hactenus ego nimium credulus putavi) Amicum, et si, ut Hero suo placeat, in alios crudelis sit, non minus lenis esse velim. Nam neque omnino oblidisci possum veteris amicitiae, & consuetudinis, & ejusdem à pueris educationis: tametsi hic quondam meus sodalis, omnis & pudoris, & humanitatis, & ingenuitatis, non minus quam juris, sit oblitus, ex quo factus est servus Allobrox.

Scio ab HORATIO celebrari quendam CRISPINUM, Stoicum Philosphastrum; sed ineptum vocari, & ut inflatum, loquacemque rideri audio. An nostrum cum eo compararem? Noti sunt HORATII Versus: \*

*Crispinus minimo me provocat: accipe, si vis,  
Accipe jam tabulas: detur nobis locus, hora,  
Custodes: videamus, uter plus scribere possit.  
Dii bene fecerunt, inopis me, quodque pusilli  
Finixerunt animi, ratè, & per pauca loquentem;  
At tu conclusas bircinis follibus auris  
Usque laborantes, dum ferrum molliat ignis,  
Ut mavis, imitare.*

Nihil nunc præterea optimo nostro Crispino respondero, præsertim cum egregium

U 5

eius

---

\* Lib. I. Sat. 4. v. 14. RUTGERSII lectio variat.

ejus de Apostatis commentarium, licet premium numerarim, nondum acceperim. Eum ubi legero, videbo, an aliâ dignus sit responsione. Ac, si me ipsi debere ἀντίδωρον \* dicet, dabo commentarium ad L. I. C. de Sac. Trin. & Fi. Catbol., hoc est, ad Legem ex eodem Codice repetitam, ex quâ discet aliquid, si non de Apostatis, quos probè scilicet novit, at certè de Hæreticis, quorum videtur etiamnum ignorare conditionem.

Verùm quo se vertet bonus vir, si ad constitutionum Codicem, ad quem provocat, cum revocem, &, ubi ingressus erit, retineam? Quid faciet, cùm audiet Christianarum Legum fulmina, quæ illic inclusa sunt; & vinculis, laqueisque, quos imprudens induit, teneri se sentiet? Quæ spongia delebit, quo inducer atramento tot Majorum, quæ eo libro leguntur, de Rebus Ecclesiasticis constitutions antiquas, quarum vel sola recordatio, capitalis est sententia de hisce Novaroribus? Si hi saperent, talem Codicem, quod haec tenus cautè fecerunt, fugerent tanquam scopulum. Sed fortasse vult Deus, eos suâ imprudentiâ irretiri, & veluti ἀυτοκαταχρίτες \*\* teneri. Quia tamen dixi, parcere nunc me velle nostro Monitori, non cogam, ut exedat, quod sibi intrivit: sed veterem Amicum, quem turpiter servi-

---

\* Denum reciprocum.

\*\* A se ipsis damnatos.

et pre-  
Eum  
espon-  
dicet,  
*Trin.*  
m Co-  
si non  
it, at  
nnum  
d conv-  
ocat,  
reti-  
larum  
x vin-  
t, te-  
io in-  
libro  
tutio-  
, ca-  
s? Si  
tenus  
ilum.  
lentiâ  
cneri.  
ostro  
f sibi  
piter  
vi-

servire doleo, et si amicâ admonitione indignus  
sit, amicè monebo, ne novo Domino, Herô-  
que crudeli nimium obsequatur: monebo, ut,  
si non vult videri planè oblitus juris, saltem  
meminerit illius Regulæ, quæ monet, in iis  
deum, quæ non habent atrocitatem facino-  
ris, vel sceleris, ignosci servis, qui Dominis,  
vel iis, qui vice Dominorum sunt, obtempe-  
raverint. *L. 157. n. de Diver. Reg. Jur.*

Nunc ad te redeo, Magne JOANNES, Vir  
humanissime, ut audiā, ecquid præterea in  
me accuses, quod capitale esse putas. Etsi  
suaviter risisse te dicas (ò risum in aliorum ge-  
mitu crudelem potius, quam suavem) tamen  
fremens indignaris, cum audis, me veterum  
Christianorum judicia de correctione Hæreti-  
corum præferre tuis capitalibus Decretis; &  
exclamas propterea, nos sævitiæ infamia asper-  
gere Legem divinam. Ne sævi, Magne Sa-  
cerdos! nam in isto æstu tuæ tam effusæ ira-  
cundiæ vix vides, quos peras, in quos incur-  
ras, quid misceas. Est hoc quidem magnæ  
cautionis, & artis, semper Legem divinam  
prætexere, cuius nomine, tanquam Clypeo,  
non modò tegas, & ornes crudele tuum factum;  
sed & merum illud, quod affectas, imperium  
armes. Sed magnæ rursus amentiæ, atque per-  
turbationis est, non sentire, quid homines cor-  
dati sentiant de istâ tuâ tam audaci Dictaturâ.  
Quicunque tibi, cum eos, quos Hæreticos  
esse

esse pronuntias, ustulatos ardere jubes, non  
subscribunt, vis tanquam Divinæ Majestatis  
reos abs tuo Tribunali ad eundem rogum du-  
ci, quia, ut ais, sœvitiæ accusant Legem di-  
vinam. Itane verò audes, non dico tòr hujus  
ætatis piorum, & Christianorum millia, qui  
abs te dissentient, sed & universam Ecclesiam  
veterem, ejusque religiosam moderationem,  
non jam dico infamia aspergere, sed tam atro-  
ci crimine onerare! Tu cum Donatistis sœpe  
exclamas: *Totus Mundus apostatavit.* Tu, cùm  
omnes, præter te, & tuos, errare dicas, Hæ-  
refoes propè omnes damnas; damnatos arde-  
re vis, rursusque eos, quibus hæc non pro-  
bantur, simili sententiâ jugulas: cui igitur vi-  
tam relinquis?

Olim JUSTINUS, in suâ ad Zenam, & Sere-  
num Epistolâ, reprehendit quosdam sui tem-  
poris Zelotas, qui igneis, ut ita dicam, af-  
fectibus, quibus tamen, ut sit, Evangelii no-  
men obtendebant, indulgentes, sic erant in-  
flammati, ut, si potuissent, quod volebant,  
ignem excitâssent, quo totus orbis conflagras-  
set. Quid tu? Id alii judicent: nimis enim  
effervesces, si quid ipse dixero. Nam & quia  
te antea verecundè monueram, non esse satîs,  
obtendere Zeli nomen: & propterea mentio-  
nem feceram Zelotarum Hierosolymitanorum,  
qui scelerati Latrones fuerunt; nunc furiose  
clamitas, & calumniaris, me tibi talia scelera  
adscri-

adscribere. Non ita est, Vir optime; sed  
opto, ne jure dici aliquando tale quidpiam  
possit de Factione tuâ.

Certè terribile est, quod, ut tuæ crudeli-  
tati patrocineris, & applaudas, confidenter  
urges, non posse damnari legem tuam, quin  
divina damnetur. Quid? nullusne jam à tem-  
pore Mosis, præter te, aut legit, aut intel-  
lexit, aut observavit legem Mosaicam de Pseu-  
doprophétâ, de Blasphemo, de Idololatra?  
Nemo quidem certè, præter te, unquam sen-  
sit, nihil de ejus severitate posse remitti, cùm  
etiam est novum crimen erroris, & falsæ opi-  
nionis, quod alioqui neque doli mali, neque  
malæ conscientiæ peccatum sit. Nemo (in-  
quam) præter te unquam cogitavit, esse ne-  
cessæ, ut, quod Moses edixit de iis, quos  
dixi, statim trahant ad eos, quos tu Hære-  
ticos dices, si non lapidandos, at certè con-  
cremandos.

Si dicerem, quænam fuerit executio legis  
Mosaicæ in suâ illâ Gente, & Republ., dice-  
rem, quod nunc esset satîs ad te reprimen-  
dum. Quid? non ausus est ipse MOSES, quod  
de Idololatrâ edixerat, trahere ad Blasphe-  
mum: sed Oraculum iterum consuluit, an,  
quod de illo decretum erat, ad hunc quo-  
que pertineret? Et tu audes tuo arbitrio?  
Quid priùs dicam, posteriùsve? Tam multa  
nunc mihi occurrunt, quæ contra te & dici  
possunt,

possunt, & dicunt omnes boni, ut nesciam,  
unde ordiri, ubi desinere debeam. Si dices,  
distinguere te, sicut distinguit AUGUSTINUS,  
inter Hæreticum, & hominem Hæreticis cre-  
denter, aliquid dices. Sed AUGUSTINI mox,  
& tuæ Personæ oblitus, Cœlum terræ misces.  
Quid nunc in hanc Disputationem longius in-  
grediar? Quia paucis verbis explicari non  
potest, & tu ab eâ fortè abhorres, age, reji-  
ciatur in aliud locum, aliudque tempus.

Sed quia te amo, & tibi, tuisque metuo,  
facere non possum, quin obiter moneam, te  
tuo capiti parùm cavere videri, cùm in eâ  
disputatione uteris quodam Procuratore, qui,  
cùm capitalem pœnam denuntiâssest Hæreticis,  
alio loco suî, tuîque oblitus, definit, Hæreti-  
cum esse, qui à receptâ Ecclesiæ Doctrinâ ita  
aberrat, ut, contempto Dei, & Ecclesiæ ipsius  
judicio, in sententiâ permaneat, & discipulis  
ascitis, Ecclesiæ Concordiam violet. Credo, te  
tam hebetem non esse, quin videas talē Definitionem & ejus Authori, & tibi esse peri-  
culosam; & propterea gratias agas CASTALIO-  
NI, qui de utroque sollicitus, eam esse vitio-  
sam ostendit. Sed si sapis, vel indè discito,  
ecquò recideres, nisi si hostes ipsi tibi parce-  
rent. Disce, quo in statu esses, si quod jus  
aliis dicis, eo jure uti, sicuti æquum esset,  
deberes: denique memineris, quid illi, qui  
Taurum Phalaridi obtulerit, meritò acciderit.

Equi-

nesciam,  
dices,  
USTINUS,  
icis cre-  
NI mox,  
mifces.  
ngius in-  
ari non  
e, rej-  
us.

metuo,  
am, te  
i in eâ  
e, qui,  
ereticis,  
Hæreti-  
inâ itæ  
e ipfius  
scipulis  
do, te  
m De-  
e peri-  
TALIO-  
vitio-  
discito,  
parce-  
od jus  
effet,  
i, qui  
iderit.  
qui-

Equidem non magis considero, & quisnam tu sis, qui tantum audes; & quid feceris, antequam legem, quâ ita faciendum esse imperares, tulisses; & quid, cum de tuo facto, & Lege novâ te Amici, quid sentirent, monerent, per tuum rursus terribilem Proconsulem iratus edixeris: Denique cum reputo, quod, cum ipse etiam, ipse Musculus & vicinus, & familiaris tuus, & in tuo ordine non minoris, quam tu, authoritatis, in suis Locis Communibus postremò ea scripsisset, quae te profectò reprimere poterant, debuerantque, tu magis, atque magis exarferis, & in Prophetam ZACHARIAM scribens, ea addideris de eadem, ut vis, tuâ lege divinâ, quae significarent, etiam privatis hominibus, si adversus eos, quos judicas Hereticos, vel Idololatras, insurgendum sit, districtum gladium te porrigere, & plusquam imperium merum singulis mandare, ut etiam Parentes hoc Zelo tuo incensi ausint hoc nomine liberos suos confodere, & jugulare: hæc (inquam) omnia cum propriis, considero, &, quod evadant, prævideo; quid aliud, quam attonitus exclamare possum: Deus bone! ecquod res Christiana recidit, si hic & Dictator, & Legislator, & Zelotes, rerum potiatur?

Mirabar nuper, quorsum evaderet inflamatus tuus quidam Apostolus, qui cum hic concionaretur, suis Auditoribus vehementer commendabat extraordinarium illud exemplum  
Levi-

Levitarum, strictis gladiis per Castra discurrentium, & obvios quosque Idololatras trucidantium. Sed nunc audio, vix te contentum esse talibus Levitis. Quid igitur homines inepti mirantur, abs te istic quendam ustulatum esse? Quid sibi volunt, qui pròpterea contendunt, tecum, & cum iis, qui tibi subscribunt, in Ecclesiâ communicandum non esse, donec tu illius non modò sanguinis, sed & sanguinariæ Legis pœnitentiam egeris; & allegant nescio quid, quod AMBROSIUS ad VALENTINIANUM scribit? Ac quidem tu cautè fecisti, quod supplicio non adfueris; quia fortasse legeras, veteres Christianos ne quidem Spectatores talium animadversionum esse potuisse. Sed quid NERO, qui ex turri *Mecenatis* spectabat ἄλωσιν?\* Rursus cautè facis, quòd, cùm istic dicitur aliquid abs te factum esse crudeliter, & extra ordinem, tu miseris tuos, nescio quos, Syndicos substituis. Sed an neminem scire putas, quinam illi peregrino Viatori, qualiscunque tandem is fuerit, & fuerit licet ipse ARIUS, manum injecerint, & accusatorem subornarint coquum suum; denique sententiam capitalem dictitarint? Certè tu mihi injuriam rursus facis, quòd, cùm de tua sævitia queror, Syndicos illos abs me accusari ais. Quid ii fecerint, vel non fecerint, nescio, nec moror: sed scio, si quod faciat, imperio fieri tuo.

Eos

---

• Excidium.

Eos enim scio abs tuo nutu pendere; præser-  
tim cùm meminerint, quid illi suo Collegæ  
acciderit, qui tibi semper parere nollet; &  
quo jure, quâ vi, quâve arte, pulsis legitimis  
Dominis, qui tibi erant molesti, sis factus  
Allobrogum Regulus. Sic tibi pulcrè cavisti-  
ne, qui aliquando nescio cujus criminis dam-  
natus, istinc pulsus à Syndicis, & actus in exi-  
lium es, iterum exulares.

Ajunt, Heshustum, Magdeburgensem Con-  
cionatorem, Augustanæ Confessionis acerri-  
mum propugnatorem, tibi nuper cùm illa  
graviora multa, quæ quo atramento dilues,  
nescio, tum illud imprimis publicè exprobrâf-  
se, te istic præesse judiciis capitalibus. Quid,  
si vidisset, quæ vidi? Nescio, an memineris:  
sed profectò memini, quænam pridie, quâm  
abs te discederem, domi tuæ noctu agitaren-  
tur consilia de nece cujusdam tui (ut vocaba-  
tur) capitanei. Ego mysteria retegere non  
audeo: sed Bernenses, qui te represserunt, te-  
stimonium dicent.

Ceterū dissimulare non possum, quoties  
cogito non modò, quæ istic consultata, scrip-  
ta, factaque crudeliter sunt; sed & quæ istinc  
huc sunt perlata sævitiae tristissimæ exempla,  
magno me dolore affici; neque non ad meas  
interdum querelas exprimendas, cùm solus  
sum, recitare quosdam ex antiquis Tragœdiis  
lugubres versiculos; quos ego tamen aunc-

supprimam: nam & irasceris, me veterum  
Poëtarum verbis interdum uti: uterer potius  
Hendecasyllabis \* tui Collegæ, si, ut nume-  
ros memini, verba tenerem:

*Vos interrogo, quæ caput tenetis  
Nascentis Rhodam, superba saxa:  
Vos, Nymphæ, rogo, quotquot hinc, vel inde  
Lemannii vitreas tenetis undas,  
Cur sævos homines fovetis illos? &.*

Non memini eorum, quæ sequuntur: & ve-  
reor, ne non suaviter satîs tibi tinniant hi ver-  
sificuli nimium lenes, mollésque, flebiles dico  
(ut vocat) PHALEUCIOS vernaculi tui Vatis: tui,  
inquam, & familiaris, & domestici, & con-  
tubernalis, & propè rivalis, elegantissimi quon-  
dam Poëtae, sed qui ex lerido, obsœnōque  
Poëtâ factus est repente sævus Theologus.

Verùm tu, ut statim te liberes, & os mi-  
hi semel obstruas, nunc magis me, premis.  
Jubes, ut sævitiæ tuæ, de quâ toties queror,  
acta commemorem. Evidem si tui capitales  
Auëtuarii essent bonæ fidei, juberem, ut ede-  
rent, quod petis. Si id eos facere non pate-  
ris, & ab exteris, qui non omnia sciunt, com-  
memorari talia velis, rogo, quemvis alium  
potius

---

\* Species Carminis, undecim syllabis constan-  
tis, Authore PHALEUCIO.

potius, quam me, oneres tam tristi recitatione. Superioribus annis ille, qui te profecto satiis lancinat, ab extremis Frisiæ finibus *Lindanus*, significavit, se suo tempore, & loco conferre velle acta tua cum actis Donatistarum: vel si abs *Baravo*, Belgâ (quem nullo haec tenus responso dignatus es, acriter licet ab eo tentatus sis) depingi nolis: audio, hic historiam illam Donatistarum gallicè descriptam, & cum tuorum actis collatam excudi. Ergo me abs tali commemoratione nunc abhorrere benignè patiaris, ut jam de styli tui (qui naturæ tuæ, & ingenii index est) saevitiâ tantum conquerar. Nam neque omnes alii, quos læsistis, semper muti erunt; neque iis facile persuadebis, quod de tuâ lenitate, & patientia prædicas: scilicet quisnam te vel imprudens unquam pupugit, quem, ubi, ubi potueris, non afflixeris, & ad quem affligendum toto etiam decennio occasionem non observaveris, crudeli cupiditate diræ ultiōnis incitatus? Quam quidem cupiditatem non minus infatibilem, quam implacabilem esse, amici quoque tui dolent, ac mirantur.

Et tu nunc mihi laudabis celebre, ut ais, SOCRATIS dictum: *An asino, si me calce petiisset, coram Prætore diem dicerem?* Magnanima nempe est patientia tua, Socratice Magister, nisi superbiam malis, quā nos gloriosè despicias, & proculcas. Sed si asini, quibus insides,

tam saperent, quām ille olim Balaamiticus; aliquid fortè ab iis aliud audires. Scilicet brum, mutūmque pecus facilè contemnere potes, à quo tibi non metuis; generosius animal non potes, quòd non tam facilè subigas. Verùm cum tuis quadrupedibus, ne tibi pauperiem dent, transfigito, ut voles, sínè Prætore: asinósque tuos, tuo arbitrio castigando, doceas, ne adversùs stimulum calcitres. Me cur eodem tractare modo velis, nihil est caufæ. Interea equidem te istic non modò Prætorem, sed & Quæstorem esse facilè patiar, modò hīc non affectus, quod in alieno jam territorio merum imperium occupâsti; cūque vel Allobrogum Duci, vel Bernensibus Dominis (qui quid saepe de te pronuntiârint, non ignoras) satisfacias; tum verò eorum Doctori *Musculo*, vicino tuo, cuius authoritatem contemnere non potes, parcas, qui postremò tuæ rogationi, de quā nunc agimus, graviter intercessit; sed &, quam pertuleras, legem sanguinariam abrogavit.

Quia DUARENUM, Jurisconsultum, mihi objicis, & laudas, juberem te memorem esse, quām ille quoque in suis *Beneficiariis Commentariis* \* talem legem repudiârit, & te moneat, non temerè olim dictum esse, homines non pallio,

---

\* Seu de sacris Ecclesiæ Ministeriis, ac beneficiis Libris VIII, a SCHILTERO Anno 1718. denuo edidis.

pallio, sed auribus esse trahendos. Sed si mihi in aliquam eā de re disputationem descendendum esset, tecum agere paulò aliter vellem: neque (quod mœæ tamen Jurisdictionis fortasse magis esset) de Magistratum in coēcēndis hæreticis officio nunc agerem, sed potius de tuo, cuius vidēris oblitus. Et tamen, ut tuæ cavillationi occurrerem, præfarer, non de blasphemiam, sed de errore; neque de impunitate, sed de coērtione, quæ capitalis non sit, quæri.

Ac imprimis quidem si te dixero abuti legi Mosaicâ, quam mihi opponis, senties, me dicere verum, si modò diligenter legeris libros AUGUSTINI contra Faustum, iisque subscribere velis, leges autem Christianorum Cæsarum de Hæreticis, & Manichæis, non omnino fide optimâ recitavit tuus minister pragmaticus, cui, vellem, crederes interdum minùs; saltem, si dignetur aliquando tua *Gravitas Cod. Th.*\* evolvere, intelliget, eum nimis liberaliter extremi supplicii mentionem falsam laudare in constitutione Theodos. Quale sit hoc falsi crimen, aliàs fortasse viderimus.

Vos verò, vos quinam estis, qui in Consistoriis judicia de Hæreticis vobis arrogatis,

X 3

&

---

\* Codicem Theodosianum, cuius postremam editionem cūn perpetuis commentariis debemus maximo JACOBO GOTHOFREDO.

& de aliorum immanitate quiritantes, novâ interpretatione nostrarum legum, vultis augere acerbitatem suppliciorum? An hoc istâ vestrâ personâ dignum, an Apostolicum, an Evangelicum, an Ecclesiasticum esse dicetis, tûque, puérque tuus? Si hoc faceret Quæstor, vel Judex aliquis capitalis, ferre fortasse possem; sed quis vos ferat? Certè AUGUSTINUS in hâc causâ rogat Judices, mitiùs ut agant, quâm lex agat; & illis semper licuisse ait, legis sententiam lenire. Relege, si vis, ejus *Epistolam CLVIII.*, & *CLX.*, & *Librum contra Donat.* post Collat.: Saltem illud expendito, quod protestatur, sese, nisi etiam Judices hic mitiores sint, quâm leges, ab eorū sententiâ, tanquam iniquâ, provocaturum esse. Mira profectò est hæc, & insolens appellatio. Quid si adderem, quod idem scribit de Jure Episcopalis intercessionis, sive deprecationis: quódque in aulam imperatoriam irrumpens AMBROSIUS, pro quodam etiam pagano, Majestatis damnato, fecit, en Jure fretus? Ad dices, tantum tibi non licere, propter *L. VII.* *C. de Episc. Aud.*? Evidem neque tantum ab te exigo; neque, quod olim Flaminii Romæ concessum fuit, tibi nunc concedi velim. Sed doleo, te tam & acerbum, & saevum videri, qnàm alii, in quorum rāmen ordine sedere vis, clementes, lenésque fuerunt. Si AUGUSTINI, vel AMBROSII exemplis non moveris, saltem GREGORII NAZIANZENI *Epistolam LXXVII.*

ad

*ad Olympium, Præsidem, de Hæretorum facinoribus loquentis recognosce: καταξιωτον, inquit, ἐπεξελθειν τοις γεγενημένοις, εἰκαὶ πινεῖπονοίας ἔλαττον.* \*

Interea sanè Jurisconsultis in suo foro licet interdum dicere, quod SYMMACHUS ad THEODOSIUM scripsit, sententias videri corruptas, si sint legibus mitiores. Quanquam hoc ille dicat tantum, ubi de calumniatore est quæstio; de quo etiam cùm quereretur, noster PAPINIANUS olim propter legem Remmiam responderat, pœnæ persecutionem non judicis voluntati mandari, sed legis Authoritati reservari. Neque hìc, si vis, objiciam, quod posteriores Jurisconsulti dixere, hodie pœnas esse arbitrarias. Sed tu severitatem in eo criminе puniendo, minimè, ut audio, probas, & sapis: adversus idololatras, & hæreticos, quos vocas, severior esse vis, ubi quidem potentiorem te esse confidis; nam alibi de impunitate concionaris: hoc quidem certè rursum sapere est.

Sed aut valde fallor, aut Donatistarum artes tenes, quorum saltem ex AUGUSTINO (nam OPTATUM nondum legisse te suspicor) potuisti & acta, & historiam colligere. Ut, ut autem astutus sis; tamen mihi homini tardo videris

---

\* Ea, quæ facta sunt, mitius tamen, quam tanta amentia meretur, ulcisci dignare.

nimiū properare: citius enim, quām expe-  
dit, tua fortasse consilia detegis. Illud autem  
solum nunc urgeo: cūm indueris personam  
Ecclesiastici Antistitis, tibi tam facile excidere  
non debuisse, quod antea tam scitè simula-  
bas: miror (inquam) te oblitum esse, quid  
eam potissimum personam deceat: & verò quid  
non modò omnes veteres Episcopi, ut eam  
tuerentur, religiosè fecerunt; sed & quid im-  
primis faciendum sibi esse judicarunt, hoc est,  
ut à sanguine non minùs, quām ab inconstan-  
tiā, valde ut essent, & viderentur alieni? Ita-  
que OPTATUS respondens Donatistis, qui, cum  
hanc laudem nostris detrahebant, omnia de-  
trahere videbantur, audet inficiari, ullum un-  
quam Catholicæ Ecclesiæ ministrum fecisse,  
quod illi mentiebantur: neque est quidquam,  
cur suo ordini magis congratuletur. Certè  
& synodus Alexandrina, agens sui ATHANASII  
causam, non temerè gloriata est, eum, quem  
Ariani mentiebantur esse sanguinarium, nun-  
quam Authorem fuisse, ut quisquam trade-  
retur carnicī, suaque sacra solius CHRISTI San-  
guine consecrari voluisse. Atqui non igno-  
ras, quibus aculeis ATHANASIUS urgeretur, ut  
Arianis par pari referret.

Vis, aliud addam exemplum? Cum olim  
agetur de Basilicâ tradendâ Arianis, AMBRO-  
SIUS, licet favore populi subnixus, facile po-  
nuisse vim vi repellere; tamen ait, sepe mini-  
mè

mè id fecisse: sed imprimis DEUM orasse, ne  
cujus sanguis in Ecclesiæ causâ fueret: sibi  
verò rem fuisse cum quodam adversario *Au-*  
*xentio Mercurino*, qui (ut ait) plenus cruoris,  
plenus sanguinis, quos non poterat sermone  
decipere, eos putabat gladio esse feriendos,  
cruentásque leges & ore dictabat, & manu  
scribebat, putans, quòd lex possit hominibus  
imperare. Qualem hæc AMBROSI verba vi-  
rum describant, non ignoras.

Magis fortasse te premam, si adjiciam,  
quod idem AMBROSIUS scribit in epistolâ quâ-  
dam, se abstinuisse ab Episcopis, qui com-  
municabant cum aliis, qui quosdam, licet de-  
vios, ut ait, à fide, ad necem poscebant. Sed  
vellem eam historiam totam legeres in SULPI-  
TII SEVERI historâ sacrâ; ex quâ etiam intelli-  
ges attonitus, ecquos notet Gallus ille alter,  
LATINUS PACCATUS, cum in suo ad THEODO-  
SIUM Panegyrico \* declamat in *Maximum Ty-*  
*rrannum*, iis sacerdotibus septum, qui nomi-  
nibus (ut ait) Antistires, revera autem Satelli-  
tes erant, judiciisque capitalibus adstantes,  
sanguinem reorum appetebant. Notat, cre-  
do, imprimis *Itachium*, illum Hispanum An-

X 5

tisti-

---

\* LATINI PACCATI Panegyricum ad  
THEODOSIUM A. BALDUINUS edidit  
Parisiis Anno 1570. & nos cum proxime ite-  
rū dabimus.

tistitem, capitalem in Galliâ accusatorem *Priscilliani*, improbissimi Hæresiarchæ. Certè SEVERUS fatetur, eum, cùm videret jam reos judicibus oblatos, de capite pericitari, & intelligeret (ut ait) quâm invidiosum sibi foret, si accusator adstitisset postremus rerum capitalium judiciis, subtraxisse se cognitioni, callido jam scelere perfecto; substitutumque esse alium accusatorem, Fisci Patronum. Audis astutum consilium, quod te non minus callidè imitari audio. At non effugit propterea *Itachius* ignominiam; & ecclesiæ quoque communione nihilominus privatum fuisse, ipse etiam PROSPER scribit.

Quid expalluisti? percurrete magis te debet, quod SEVERUS adjicit de *Martino Turenensi*, qui cum AMBROSIO conjunctus, *Itachio* sese opponit: nisi si hujus Martini memoriam contemnere te dicas, cuius ossa, & cineres, quibus ipsi quoque Barbari olim pepercerant, nuper tuus in Galliâ plus quâm alter *Vigiliatus* rapidis ludibria ventis projecit. Quidquid porrò dixerint, qui tuum, Ministerium dicam, vel imperium? minimè *avainatov*\* accusantes, te urgent, & ad officium revocant; ut effugias, tanquam objecto fumo, exclamabis, eos, qui te premunt, hæreticis scilicet favere, aut patrocinari. Nam & hoc artifi-

---

\* Incruentum.

tificium didicisti ab illo *Itachio*: quem quidem etiam *SEVERUS* narrat ausum esse, *Martino nescio* quid ejus generis objicere. Sed, velim memineris, eum, ita agendo, nihil egisse, ejusque artificii inanem & fraudem, & terrorem fuisse.

Scimus certè, & fatemur lubenter (ne quid iterum cavilleris) meritò *Priscillianum* damnatum esse etiam *Sæculi* (ut ait *HIERONYMUS*) gladio; quodque *LEO* Pontifex de *Priscillianistarum* pœnâ scribit, prolixè laudamus: sed si eorum tam accusatio capitalis non decuit ecclesiæ ministrum, ecquò te vertes, ut cum tuâ lege, tuoque facto effugias? Nam, quod audio, te, ô noster misericors, in quādam ad amicum tuum *Westphalum* responsione jactare, cum lacrimis deprecatorem ad genua tuorum *Syndicorum* procidisse, ut liberares eum, quem jam carnifici tradideras; minimè sibi constat; & vereor, ne id ridens scriperis: ut risisse te narras, cùm audires, me deflere tuam in palis defigendis, & rogis accendendis, quibus adversarios tuos torqueas, inflammatam ultionis immanni cupiditate sævitiam. Sed neque, credo, ad te pertinere putas, quod *INNOCENTIUS III.* Pontifex aliquando rescripsit Episcopo *Parisiensi*, ut pro degradato, qui traditur curiæ sæculari, Ecclesia, ut ait, efficaciter intercedat, ut citra mortis periculum circa eum sententia moderetur, *Cap. XXVII.*

de

*de Verb. signific.* \* Ergo patiare, ut nunc antiquiori exemplo, ex Galliâ repetito, admonearis tui officii, præsertim cum illud exemplum sit, quod ipsa etiam Ecclesia Leodiensis multò pòst, dico ante annos CCCCL. ausa est objicere ipsi PASCHALI Pontifici.

Fortasse ex ejus temporis Annalibus Francorum, adjungerem exemplum honi illius Episcopi, qui paucis post annis in quâdam Synodo Rhemensi, cum haereticum quendam *Henricum* refellisset, inclusum servavit: sed vereor, ne, si legeris EPIPHANIUM, opponas antiquius exemplum *Archelai* cujusdam, in Mesopotamiâ Episcopi, quod imitari malis; laudésve illam (scis, quam dico) *Nestorii*, constantinopolitani Antistitis, ad THEODOSIUM concionem plus quam militarem. Certè ut tu risisse te significas, cùm priorem nostram admonitionem legisti, quam Nestoream vocas ludibrii causâ: sic serio multi ingemuerunt, cum Nestorianum nescio quod Clasicum cecinisse te audierunt; optaruntque tamen, ut *Nestor* potius fias, tibi non accidere, quod accidit *Nestorio*.

Interea ut iterum occurram tuis cavillis,  
& semel præcidam, quod hic soles prætexere:  
iterum tibi confirmo, vehementer optare me,  
ut,

---

\* vid. GONZALEZ TELLEZ in Not. ad Cap.  
XXVII. de Verb. Sign.

ut ii, quos non tam error aliquis, quam mala  
mens, malus animus præcipites agit, severissi-  
mè puniantur: quique cum hæresi aut per-  
duellionis, aut alterius facinoris crimen (ut sit)  
conjungunt, meritas dent pœnas; & improbi,  
atque scelerati impostores, qui non tam fallun-  
tur, quam fallunt, falsoque nomine Religionis  
fictæ, Reipubl. malitiosè perturbant, ut rem  
suam agant, extremo suppicio coercentur.  
Et quo tandem satis suppicio expiari tale sce-  
lus posset? Atque utinam jam pridem tales  
pœnas dedissent tales (utar verbo tuo) nebulo-  
nes! nos jam non deploraremus Reipubl. va-  
stitatem, neque tu ejus ruinis insultares. Ergo  
nihil est, quod magis optem, quam, multis ejus  
generis grassantibus, suppicia, ut lex ait, ex-  
acerbari; sed cum id in gratiam quoque tuam  
dico, vide, num satis agam causam tuam. Quid  
autem, si de aliis pronuntiandum sit, perso-  
nam tuam deceat, iterum non dicam, quia du-  
bitare incipio, quam geras personam.

Interea verò peto, mihi ut ignoscas, si sim-  
plicis erroris, cuius quanta vis sit, expertus  
sum, statim esse non possim yindex capitalis, &  
mihi in mentem saepe veniat illud AUGUSTINI  
adversus Epistolam Manichæorum Proemium,  
quo tuam saevitiam nondum repressam esse  
miror. Sed fallor: nam nuper visus es mira-  
biliter mollis, atque placabilis, cum tibi, ut au-  
dio, placuit in alieno Regno libertas, sive licen-  
tia

tia Religionum, & repente, quam HILARII ad CONSTANTIUM eâ de re Orationem olim damnabas, abs tuis deinde laudari non molestè tulisti: imò verò malum exemplum, nescio quod allegari non noluisti, ut tuæ factiōni concederetur, quod aliquando Arianis concessum fuisse dicitur; suppressi verò voluisti, quod vel AMBROSIUS adversus *Justinam*, vel CHRYSOSTOMUS adversus *Gainam* in eâ causâ fortiter fecit. Cautè: sed nova hæc licentia quomodo conveniat cum illâ tuâ priori, de quâ dixi, lege, videris. Certè nimis horrida esse visa est excusatio eorum, qui ajunt, illam libertatem tibi ad tempus astutè placuisse; hoc est, donec viribus auctus, & potentior factus, posses exterminare partem adversariam. Hic qualis, quantusque sese mihi aperiat campus, si in te incurrire velim, vides, vir magne. Sed non molestè fero, te aliquid de tuâ feroicâ vel ad tempus remisisse videri, si etiamnum perstas in sententiâ largiendæ libertatis licentiosæ.

Ceterum obtestor omnes sapientes, ut considerent, quale sit hoc totum artificium Religionis transformandæ, atque inflectendæ: considerent, quâ eam conscientiâ, tanquam Lefbiam regulam, ad ambitiosa, & profana consilia accommodes: considerent, ecquid Religionis sit in homine ita ludente, & Religionis titulum ad suas cupiditates tam variè referente. Si hic cæca nunc es, ô Gallia; at tu, sapien-

pientior posteritas, liquidò perspicies, quid nunc agatur, quid simuletur. Nihil nunc me vis dissimulare, generosissime JOANNES? Tibi obtemperabo, & quod, te veluti suggestente, mihi in mentem venit, obiter recitabo.

Ex multis, qui istinc prodierunt sinè authoris inscriptione, famosis, factiosisque libellis, unus in manus meas nuper incidit, qui reliquis nervosior, minùsque ineptus esse vi us est, & propterea tuus magis esse videbatur. Is dicturus de ratione sedandorum (ut titulus pollicetur) in Galliâ tumultuum, & eo nomine petens, quam dixi, libertatem, quasi omnium tumultuum, non seminarium, sed everriculum: ne videatur sinè ratione insanire, laudat vetus exemplum Antiochenorum (ut vocant) fidelium, qui Eustatiani appellati sunt, & separatos habuerunt suos cœtus. Ego verò miratus sum, talem eorum separationem nunc laudari, cùm quidem meminisse, eam erupisse in Schisma minimè laudabile; quod annis plus, quàm octoginta, magnas in Ecclesiâ Antiochenâ turbas dedit.

Miratus etiam sum, te potius Joannitarum (ut appellabantur) Constantinopolitanorum secessionem non laudasse, quæ longè fuit religiosior; & statim, atque *Atticus*, CHRYSOSTOMI memoriam laudando, fecit officium suum, ad Ecclesiæ communionem rediit, atque ei reconciliata est. An tuam, optime JOANNES, factiōnem

nem fore in reconciliatione difficultorem, dissimulare noluisti? An Eustatianis illis similiorem esse, gloriari voluisti?

Eustatio, Orthodoxo Episcopo, injustè pulso, cum *Eudoxius*, Arianus, Ecclesiæ guber-nationem invasisset; hujus, credo, communionem defugere Catholicis (ut vocabantur) licuit, ut & separatim convenirent, & *Paulinum*, *Eustatii* presbyterum, potius audirent. Sed cùm *Eudoxio* successisset *Meletius*, orthodoxus, qui Arianos, et si ab his ordinatus diceretur, refel-lebat; an Eustatianis licuit nihilominis sece-dere? Secesserunt tamen: adeò difficile est re-vocare distractos. Atque hoc illud est, quod nunc metuunt omnes boni, & sapientes.

Cùm ab Arianis, propter doctrinam ortho-do-xam, *Meletius* abdicatus esset, substituto *Euzoio*, Ariano, hujus iterum communionem meritò refugerunt tam ii, qui *Paulinum*, quām qui *Meletium* sequebantur. Sed quis non mire-tur, ne tum quidem, mortuo præsertim *Eustatio*, illos sive Eustatianos, sive Paulinianos cum Meletianis communicare voluisse? Sed & cùm restitutus esset *Meletius*, & officium suum magis, atque magis rectè faceret, ipsūmque *Basilium* haberet Diaconum, nondum *Pauli-nus* cum suis ad Ecclesiæ communionem re-dire voluit: imò verò contrà patitur sese à quibusdam creari Epicopum; quasi *Meletius* legitimus non fuisset Episcopus, & vitio esset crea-

creatus, qui diceretur ab Arianis aliquando ordinatus: & interea tamen non dubitat *Paulinus* ordinari abs *Lucifero*, homine minimè sanæ doctrinæ, ita quidem, ut & ipsi *Eusebio*, qui alioqui cum *Lucifero* illo conjunctus fuerat, displicuerit hæc *Paulini* ordinatio. De personis alioqui, hoc est, de *Meletio*, & *Paulino*, nunc non dispuo: habuit uterque suos laudatores, & reprehensorum; tametsi à pluribus & *Paulinus* reprehendatur, & laudetur *Meletius*. Sed dico, exemplum hujus Schismatis laudari non debere. Quid? *Meletius* pacis redimendæ causâ benignè obtulit *Paulino* societatem Episcopatū Antiocheni eā lege, ut, altero mortuo, alter superstes in solidum episcopus maneret. Ne eam quidem conditionem accipere voluit *Paulinus*; maluitque etiam adversus Edictum GRATIANI Imp. habere separatos suos cœrus. Quid reliquam tibi historiam narrarem, in quâ videmus, tristissimam turbarum excitandarum, impediendaéque reconciliationis causam fuisse, quam tu nunc asse rationem tumultuum sedandorum? Hoc ego tuum exemplum velim diligentius consideres, & ab aliis, longius prospicientibus multa, propius considerari meminisses. Interea te obtestor, ut unitatis potius, quam (PAULI verbo utar,) *anarastasias*\* suator, anthórqne esse velis: unitatem dico, &

Y

pacem

\* Tumultuationis.

pacem Christianam, quæ Ecclesiæ reformationem consequi potest.

Scis, credo, ipsam olim CHRISTI Ecclesiæ fuisse appellatam unitatem ab ipsis quoque Schismaticis: scis, quantopere τὴν ἑνότητα\* commendent Christianæ literæ, Frustra autem, & ineptè objiciis exceptionem quandam HILARII. Nam (ut iterum dicam) non aliam aut pacem, aut unitatem quærimus, quam quæ CHRISTI sit; neque eam aliâ conditione quærimus. Ne verò fallax aliquod ZENONIS Imp. ἑνοτικὸν \*\* (ut dicebatur potius, quam erat) excudas, saltem cogita, quis illius finis fuerit. Non est meum præscribere, quā fieri, si velis, possit, quod suspirans optat orbis Christianus: nil fieri tamen facilius potest, si modò & tibi, & omnibus Antitistis seriò placeat illud JOANNIS: *Oportet Christum crescere, me autem minui.* Nam & homines nunc multis miseriis, molestiisque veluti subacti, & dissensionum fluctibus contusi, fracti, fatigati, fortasse non recusabunt, quam antea conditionem transfactio-  
nis recusâsse dicuntur.

Evidem testor cœlum, & terram, non modò lentam, atque ignavam negligentiam, & in

\* Unitatem.

\*\* Henoticon, seu unitivum decretum, quòd Zeno Imperator, Acacii, Episcopi Constantiopolitani instinctu, ad Eutychianos Ecclesiæ conciliandos edendum curavit.

in summo Reipubl. periculo nimium securam,  
supinam, oscitantem incuriam, sed & latam,  
dolóque proximam culpam eorum & fuisse,  
et esse, qui legitimam, piam, Christianam  
Ecclesiæ reformationem suscipere, urgeré-  
que debebant noctesque, diésque. Improbus,  
impudensque es, si fingas me iis assentari,  
quos, ut à pueris feci, nunc quoque accuso:  
&, quā possum voce (non enim aliud possum)  
multorum propterea criminum reos esse cla-  
mo. Certè etiam tibi assentiar, atque subscri-  
bam eos acerrimè accusanti: neque dubito,  
quin pœnas daturi sint: tantumque abest, ut  
crimen elevem, ut portentum esse existimem,  
si, cum ipsum dolore Cœlum sudet, ipsa ter-  
ra gemat, & fatiscat, Antistites Christiani hâc  
curâ non tangantur, moveantur, affiantur.  
Ergo iterum testor Cœlum, & terram, etiam  
tonitruo, & fulmine excitandos esse, si, qui  
ad clavum sedent; nunc stertant; neque, si  
perire velint, cum iis perire vellem. Per me  
etiam licet, ut eorum fastum alio fastu calces.  
Sed illud nunc quæritur, cum illos præcipites  
dederis, ecquò aspires? Et, ubi omnia ever-  
teris, quid molieris? Quæritur, inquam, an  
non justius, atque utilius Reipubl. sit, Ecclesiam  
in integrum restitui, quām, rebus eversis, te  
attoli? Te cum dico, eum quoque dico, qui  
res tuas procurat, bonâ utinam fide!

Scio, ut nobis eripias metum novæ servi-  
tutis, clamans, minimè te esse ambitiosum; &

admirabilem tuam modestiam, atque simplicitatem prædicas. Cautè: nisi enim sic loquereris, non falleres. Sed an rursus tam cœcos, & oculis captos esse putas Gallos omnes, ut nemo videat Tiaram illam triplicem, illam dico, quam sordido pileo tegis, & oculis, ut auriculas asini Rex MIDAS; sed quem novo nunc bello elatus, nunc nimium ostentasti, ut & citius fortasse, quam expediebat, cornua intendisti, atque exeruisti; nisi si tui Legati culpam esse respondeas. Ridiculum saltem ludibrium est, quod, cum tam multi pâssim tui collegæ (ubi, ubi audent, te absente) conquantur de tuâ intolerabili arrogantiâ, & incredibili fastu, & res loquantur ipsæ, quam etiam procul extra tuum territorium, finesque tuæ Diœcœseos de omnibus quidvis statuas extraordinario quodam imperio; & abdices, quotquot non prodierint ex sinu tuo; neque quemquam feras, qui non & in verba tua juret & reformidet tuam ferulam: tamen jactes, te nulli cedere, & mihi dira miniteris, quia verécundè significârim, te nullum facere collegam. Si dixisse, tibi eo loco esse collegas, quo erat Bibulus CÆSARI, Consuli; id, honoris tui causâ, dictum videri posset. Ipse CALIGULA suum equum aliquando sibi collegam adscivit: nolim dicere, te non multò pluris facere tuos: nam & unum, aut alterum nunc video, qui id minimè jam paterentur, quique tibi semper, nî caveris, cessuri non sunt:

Sed

Sed multi audiunt, quod jam pridem audi-  
vi, te mirificè tibi placere, cum de te Præco-  
nes quidam tui, qui alios omnes præ te con-  
temnunt, & flocci faciunt, accinunt veterem  
versiculum: *Ille vir est solus: volitant alii, sicut  
umbra:* quod quidem ex HOMERO repetitum,  
de SCIPIONE quoque dictum fuit; ut ab eâ lau-  
de minùs abhorreat modestia tua. Cùmque  
is etiam SCIPIO non minus, quàm Socrates  
dictus sit εἰρῶν; \* sæpe audivi, honoris causâ,  
tibi eundem titulum adscribi: quanquam vix  
εἰρῶν dici possit, qui est ἀλαζών. \*\*

Prædicas mirificam tuam moderationem,  
propè dixisti humilitatem, propter quam ser-  
vus servorum DEI sis dicendus: nam & hunc  
titulum fuisse tui *Iosnaelis*, nescio, ubi notes.  
Ceterum meminisse potius debueras illius, qui  
apud LIVIUM dicitur collegas pro ministris ha-  
bere. Annon meliori jure id de te dicatur,  
ipsos ipsos ministros, si qui forte sint cordatio-  
res, & in suâ servitute liberiores, testes facio.  
Nominarem quosdam, qui suam de tuâ (ut di-  
cere ausi sunt) tyrannide querimoniam literis  
ad me suis consignârunt: sed boni viri si no-  
minentur, sibi abs te metuunt.

Nescio an obtendes, puerum, patronūm-  
que tuum, cùm abs Joachimo Westphalo, (qui

---

\* Dissimulatè loquens in oratione.

\*\* Ostentator.

non minus, quām tu, Papæ Rom. iratus es; sed, procul licet absit, prospicit, quid velis) salutareris, *Beatissime Papa*; nuper respondisse, satis liquere, quia Papam Rom. oppugnes, non captare te Pontificatum. Sed (mihi crede) qui id tuo nomine respondit, si nescis, te ridebat homo & nasutus, & rivalis fortasse tuus; talique responsione confirmavit, & auxit potius, quām diluit suspicionem, quæ te premit. Quid dico suspicionem? Aperta est ambitio. Itaque, nisi aliud obtendas, exclamat **Gallia**, quod Westphalia.

Ac tu quidem cum de **LUTHERI** propè, ut de Pontificis imperio, conquestus sis, & illum à quibusdam vocari tertium *Eliam*, indignè tuleris; eique Ecclesiam serviliter subjectam esse, indignissimum esse clamitāris, voluisti videri fugere, quod captas: sed neminēne sentire putas, te tibi arrogare, quod aliis detrahis? Alterum *Eliam* esse te, quia, ut ille aliquando Sacerdotes Baaliticos mactavit, tali scilicet exemplo legem tuleris in eo genere multò terribiliorem, jam pridem audio. **LUTHERUM**, cuius altitudo tuis luminibus officit, de suo solio ut dejicias, quid non facis, ex quo tempore mortuus ille est? nam viventem attingere non audebas. Quid supereft, quām ut **ELIE** currum concendas, & supra nubes te attollas?

Vis,

Vis, loquar hic melius, & te moneam familiarius? Vix quisquam nunc tam simplex est, qui non suspicetur, quò aspires, quid affectes, cum audiunt, quād valde odoris, & fulminando abigas suasores alicujus bene temperatæ reformationis, Christianaéque unitatis; quos vocas mediatores, quia odiosissimum verbum esse putas. Nempe capitales tuæ factio-  
nis hostes esse judicas, quicunque, rebus in or-  
dinem redactis, efficerent, tuis ut extraordi-  
nariis concionibus nullus locus relinqueretur,  
& via ad illud novum, quod affectas, impe-  
rium obstrueretur.

Saltem audis, multos jam pridem queri, insolentiam esse intolerabilem, quòd novas tuas, sive ceremonias spectare, sive formulas sonare solas velis in Ecclesiâ universâ; quòd alias, & veteres omnes expungas, & veluti unâ liturâ deleas; quòd etiam, si quid fortè in Germaniâ, vel Angliâ retentum sit ex antiqui-  
tate religiosâ, sordes, & maculas esse clamite, &, quidquid illud est, contumeliosè con-  
spuas. Si neges, magnum, & patentem mihi aperies campum dicendi. Sed non longè abie-  
ro, & te tuo gladio jugulabo. Tu jam sæpe mihi BUCERUM laudas. Recte. Scis, quam ille HERMANNO, Archiepiscopo Coloniensi præscribit formulam reformationis, & Angli imitati sunt: si nunc ad eam te revocarem, quibus me fannis exciperes? Nam, etsi literis

confignatis aliquando confessus sis, non igno-  
rare te, quām sit Bucerismus tolerabilior Cal-  
vinismo, tamen cūm ad rem ventum est, lon-  
gè aliter sentire te ostendis. Longum esset,  
singula, quæ inter vos dissimilia fuerunt, per-  
sequi.

Sed vīsne, in ipsis statim principiis, atque  
adē in levioribus (nam graviora attingere non  
est meum) ut ostendam, an aliqua sit tua ab  
omnibus dissentiens morositas? Evidem in-  
vitus id faciam: verū tu me non finis omnia  
dissimulare. Memini, te in priori tuo contra  
me, vel potius CASSANDRUM, Libello famoso  
nobis objicere nefcio quod barbarum (ut ait).  
*Abrenuntio*, quod in Baptismo inculcari nar-  
ras. Hic quid tibi velis, vix intelligo. Sed  
ne hominem in latinā lingua politum, & pro-  
pè Ciceronianum minus offendat Ecclesiasti-  
cum hoc, & vetus (eo licet CICERO in tali  
significatione non sit usus) verbum *Renuntio*,  
sive *Abrenuntio*: obiter dicam, Romanos fal-  
tem Jurisconsultos eo etiam uti: saepe enim  
dicuant: *Renunciare sponsalibus*, vel nuptiis,  
cūm de repudio, vel divortio loquuntur. Un-  
de in Pandectis: *Renuntiata affinitas*: imò *Re-  
nuntiatio* simpliciter dicitur de Repudio. Pro-  
babile est, aut veteres Christianos, cūm diabo-  
lo, cui veluti naturaliter addicti sumus, in  
Baptismo profiterentur se *renunciare*, allusisse  
ad formulam alicujus repudii. TERTULLIANUS  
zamen,

tamen, quod uno loco dixit *Renuntiare*,, alio  
vocat ejerare, vel ejurare. Bucerana formu-  
la non modò id antiquitate retineri vult, sed  
& veteres, cum *Abrenuntiatione*, formulas  
stipulationum, atque sponsionum : tu verò  
has omnes deles, ut ineptas, & fatuas, & nu-  
gatorias. Negabis, esse veteris Ecclesiæ? Et  
si fortasse jure neges, nos esse (ut loqueris)  
antiquarios : tamen, quantulumcunque est,  
quod notavi de Antiquitatibus Ecclesiasticis,  
satis, supérque est, ut tibi nunc satisfaciam.

Scio, suaviter te risurum esse, & vehe-  
menter miraturum, me meminisse istarum  
(ut loqueris) næniarum : sed tantò magis, ut  
te oblectem, juvat meminisse. Ac primùm  
quidem non dignetur Celsitudo tua negare,  
jam temporibus Apostolorum aliquas fuisse  
interrogationes, & sponsiones, cùm adulti  
baptizabantur : nam & PHILIPPUS Enuchum  
baptizandum interrogat de suâ fide, & Reli-  
gione. Graviter autem disputat AUGUSTINUS,  
non esse satis suo tempore, si illud tantùm,  
quod PHILIPPO Enuchus olim respondit, re-  
spondeatur : sed cetera etiam adjicienda esse,  
quæ Ecclesiastico more abs baptizandis inter-  
rogantur.

TERTULLIANUS \* doctissimus, & antiquis-  
simus scriptor Ecclesiasticus, disputans adver-  
sus  
Y 5

versus eos, qui admittunt nihil, quod litteris  
sacris non sit expressum, & contendens, ob-  
servationes quasdam Ecclesiasticas esse, &  
traditiones non scriptas, quae repudiari non  
possint, proponit earum exempla, de quibus  
nullam fore quæstionem judicat: Ut, inquit,  
*a baptismate ingrediar, aquam adituri, ibidem,*  
*sed & aliquantò priùs in Ecclesiâ, sub Antistitis*  
*manu contestamur, nos renuntiare Diabolo, &*  
*Angelis ejus.* Illásque pompas, quibus renun-  
tiatur, dicit esse officia sœculi, honores, solen-  
nitates postulatrices, falsa vota, laudes vanas,  
glorias turpes. An, quia his renuntiare non-  
dum fortasse potes, ferre non potes veterem  
hanc formulam?

Sanè BASILIUS, qui in eâdem, in quâ TER-  
TULLIANUS, disputatione eandem formulam  
laudat, & apud Græcos, ut apud Latinos, usi-  
tatem fuisse ostendit; & ut refellat eos, qui  
nullâ Lege, nisi scriptâ teneri se ajunt, Scrip-  
turámque perpetuò requirunt in omnibus Ec-  
clesiæ formulis, opponit Mysteria, & nomi-  
natim istud in Baptismate *ἀποτάσσεσθαι τῷ*  
*Σατανᾷ, καὶ τοῖς ἀγγέλοις ἀντεῖ.* \* Sed & eo-  
dem tempore AMBROSIUS explicans, quod PAU-  
LUS de Baptismo scribit C. II. ad Coloss.: *Hoc,*  
*inquit, commonet, ut perseverent in abremun-  
tione pompe, & præstigiarum Satanae.* Non  
est dubium, quin alludat ad illam abremun-  
tionis.

---

\* Renuntiare satanæ, & angelis ejus.

tionis formulam, de quâ loquor: quam quidem laudat, quasi jam tempore PAULI ea in usu esset. Idem hinc Christianos potissimum urget ad officium: *Repete, inquit, quid interrogatus sis: recognosce, quid responderis: Renuntiasti Diabolo, & operibus ejus, Mundo & Luxuriæ ejus, ac voluptatibus.* Sic & AUGUSTINUS L. I. de Symbolo: *Vos, inquit, professi estis, renuntiare Diabolo, pompis, & Angelis ejus.* Omitto, quod indè sæpe adversùs Pelagianos argumentum repetit: nam neque dubito, te hujus antiquitatis monumenta legisse: sed tanto miror magis, te ejus memoriam magis non colere.

Cum illâ, quam dixi, Renuntiatione coniuncta semper fuit solennis, ex formulâ Symboli, Professio Fidei; sicuti & TERTULLIANUS.\* *Aquam, inquit, ingressi, Christianam Fidem in Legis suæ verba profitemur?* Hanc fortasse Professionem retinere te dices: sed cur stipulationem sustulisti? HIERONYMUS adversus Luciferianos defendens multas Christianorum veterum observationes, quæ alioqui scriptæ non sunt: Solenne est, inquit, in Lavacro post Trinitatis confessionem interrogare: *Credis Sanctam Ecclesiam? Credis remissionem peccatorum?* Quid? ne Novatiani quidem olim ausi sunt hujus generis formulam mutare, cum peculiarem in suo cœtu Baptismum instituerent.

---

\* De Spectaculis Cap. 14.

rent. Itaque CYPRIANUS, si aliquis, inquit, opponit, Novatianum usurpare potestatem baptizandi posse, quod videatur in interrogacione Baptismi a nobis non discrepare: sciat primùm, non esse unam nobis, & Schismaticis Symboli legem, neque eandem interrogationem: Nam, cum dicunt: Credis remissionem peccatorum, & vitam æternam per sanctam Ecclesiam? mentiuntur in interrogacione, cum non habeant Ecclesiam &c. Idem suo testimonio rursus confirmat morem Ecclesie: *Ipsa*, inquit, *interrogatio*, quæ sit in Baptismo, testis est veritatis: nam cum dicimus: Credis in vitam æternam, & remissionem peccatorum? intelligimus remissionem peccatorum non nisi in Ecclesia dari.

Objicies, & interrogaciones, & sponsiones, de quibus locutus sum, pertinere ad Baptismum adulorum; ineptas verò esse in Baptismo infantum: & ineptius adhiberi sponsores, sive fidejussores, sive expromissores, quos Patrios vocant. Sed neque insolens illud esse, Vir Doctissime, poterat te vel unus docere AUGUSTINUS. Is ut refellat Pelagianos, negantes, ullum esse puerorum peccatum originale, urget ipsam Baptismi formulam, quasi legem Apostolicam, quam Pelagiani recusare non ausint. Ait, nullum puerum baptizari, quin aliquis adsit respondens pro parvulo, quem gestat, & ejus nomine renuntians Diabolo, & profidens se credere in remissionem peccatorum. Hoc, inquam, argumentum

hic

Hic, tanquam ex confessio repetit AUGUSTINUS,  
neque Pelagiani audent negare, illud fieri re-  
cte, quod factum veluti pro jure opponit.  
Ergo cum illam formulam tollis, tollis mate-  
riam hujus argumenti.

Idem AUGUSTINUS contra Julianum, Recole,  
inquit, quemadmodum in Ecclesia Christi Bap-  
tismatis Mysteria celebrentur, & invenies, quod  
abrenuntient & parvuli per ora gestantium, sicut  
per ora gestantium credunt. Idem rursus L. II.  
de Anima: Mysterium, inquit, credulitatis in  
parvulis per eorum responsionem, à quibus gestan-  
tur, impletur. Accedat, quod hanc de re scri-  
cit in Epist. XXII. Quid indignaris, si ho-  
mines religiosos, minimèque ineptos delectat  
veteris Ecclesiæ, majorumque suorum memo-  
ria, ubi, ubi nihil est, quod necessariò de-  
leant.

Evidem scio, non hoc primum tem-  
po re fuisse, qui, quam dixi, Veterum observa-  
tionem irriderent. Nam DIONYSIUS, & an-  
tiquus, & gravis profectò testis, jam suo tem-  
pore tales fuisse significat: Sed id in homini-  
bus profanis mirari nos non debere admonet.  
Non potes profectò illum DIONYSIUM, qua-  
lis hic nuper excusus est, legere (si eum lege-  
re dignaris) quin ceremoniam, quas abrogasti,  
antiquitate premi te sentias.

Quid si ex eo recitarem nunc aliquid de Ex-  
orcismo? An tuo more Cælum, & terram ad-  
jura-

jurabis, novum in eo, & ineptum esse ludum; qui veteri Ecclesiæ fuerit ignotus? Atqui licet Græcos testes non audias, Afri illi, CYPRIANUS, OPPATUS, AUGUSTINUS te obtundent. Quid, si addam, BUCERO tuo quoque placuisse, illum in Baptismo retineri, idque eum in suâ formulâ mandâsse? Non est meum definire, quid in Mysteriis vel sit, vel non sit necessarium.

Sed ne in ipsis quidem initii convenire te cum iis, quorum consensum mihi opponis, liquidiūs ostenderem, si recitarem, quām valde repudies illas veteris Ecclesiæ, jam indē à tempore TERTULLIANI, Leges de Baptismo minūs solenni, sed, ut judicabant, necessario; quas tamen Leges Germania, & Anglia etiamnum colit, & observat. Ceterū si tibi narrē, quam AUGUSTINUS ad *Fortunatum* hâc de re historiam narrat, vereor, ne, quā ille ait suos ad lacrimas commotos esse, tu ad profanum risum commovearis.

Age, ecquid tibi rursus placet, quod, ex BUCERI quoque judicio, Angli in Baptismo præscribunt esse observandum, ut pueri frons figurâ Crucis consignetur? Quām valde rursus istud irrideas, non nescio: sed, ut verecundiūs id facias, cogita, quos eā in re viros irrideas. Qualiscunque sanè sit hic ritus, didici esse antiquissimum, & ut rursus tibi verecundè confirmem, me Antiquitatis esse studiosum; &, quod antea improbè objecisti, nunquam me ullas

illas Ceremonias curâsse, utcunque refellam:  
non dissimulo me legisse, quâm eum ritum re-  
ligiosè tueatur **BASILIUS** in *Libro de Spiritu San-  
to*: cùm quidem significet, tam eo tempore  
receptum fuisse, ut non existimet, quenquam  
tam esse audacem, qui eum fastidiat. Sed &  
**CYPRIANUS**, qui est antiquior, ait, eos, qui  
in Ecclesiâ baptizantur, signaculo Domino con-  
sumari. Et **TERTULLIANUS**, \* qui rursus se-  
nior est, non modò hunc ritum laudat, sed &  
ex eo repetit argumentum in disputatione de  
*Resurrectione Carnis*: *Caro* (inquit) *ablutur*, ut  
*anima emaculetur*: *Caro signatur*, ut & *anima*  
*muniatur*. Quid, si adjicerem, quod gloria-  
tur, & iis, qui observationem in Ecclesiâ nul-  
lam, nisi Apostolorum manu consignatam,  
admittunt, objicit, Christianos assidue fron-  
tem Crucis signaculo terere? Evidem super-  
stitionem, & ineptias etiam odi naturâ: sed  
vereor, ne frontis non tam integræ, quâm  
perfrictæ, vel potius ferreæ sit, tam scurrili  
naso suspendere vetera insignia moris alicujus  
Christiani. Scilicet valde lepidi, facetique  
nunc sunt, qui, quod ad fugandos Dæmonas  
pertinere dixit religiosa Antiquitas, non nisi  
ad muscas abigendas pertinere ajunt: an etiam,  
cùm has nominant, significare se nescio quid  
de Beelzebub ridendo adjicient? Evidem san-  
nas, &, ut vocas, ronchos non reformido,  
sed

---

\* *De Resurrect. Carn. Cap. VIII.*

sed tamen, ne irrisores magis irritentur, vix  
recitare audeo, quod (ut alios omittam) AM-  
BROSIUS, & AUGUSTINUS (qui profectò reve-  
rentiâ, non irrisione digni sunt) recitant de eo  
(ut vocant) signaculo, hoc est, de consignatio-  
ne crucis: quam si dixerim jam indè abs tem-  
poribus CYPRIANI Baptismo accessisse, ut esset  
quod temporibus Apostolorum erat manuum  
impositio; rogo (nam doceri cupio) num de  
veteri ceremoniâ loquar imperitè? Evidem  
audio, clamitare te, qualiscunque, & cujus-  
que tandem ea sit, esse intolerabilem: sed ubi  
id probaveris, vide, cum quibus tibi res sit,  
neque me iis substituas.

Tu etiam, nescio quo jure, mihi contume-  
liosè in priori tuo libello saepius objecisti Chris-  
ma; quod tamen in tuo non minùs, quam in meo  
Baptismo adhibitum fuisse puto: sed si nunc  
eo non uteris, quid ad me? Cur, inquam, de  
Chrismate mecum litigas tam non Christianè?  
Age cum GEMINIANO; age cum DIONY<sup>IO</sup>,  
qui id prædicat: age cum TERTULLIANO,  
CYPRIANO, BASILIO, OPTATO; hoc est, cum  
universâ Ecclesiâ veteri, quæ hujus ceremo-  
niæ abrogatæ reum te facit. Nescio, an le-  
geris, quod de Novatianorum Baptismo lo-  
quens THEODORETUS ait: Τοῖς ὑπὸ σΦῶν  
βαπτιζομένοις τὸ παντούν τὸ προσφέρεσθαι  
χρίσμα, καὶ τοῖς ἐκ τῆς αἱρέσεως τὸ σῶμα τῆς  
ἐκκλησίας συναπτομένοις χρίσμα ὁ πανέυφη-

vix  
AM-  
eve-  
le eo  
atatio-  
tem-  
eset  
uum  
m de  
idem  
ujus-  
d ubi  
s sit,

*μητέρησον προσέταξεν.* \* En cum quibus  
tibi certandum sit, si hâc de re contendere  
velis.

Sed tu me, Baptismo relieto, jam sæpius  
ad Missam revocas: & in eâ rufus tuos συμ-  
μάχος \*\* opponis. Verùm cùm, in quo con-  
fistas, nullus quæstionis status sit, & in infini-  
to vageris, quid dicam? Apagè cum illà tuâ  
puridâ calumniâ, fallaciâque, nos iis servire,  
qui defendant τὸ βδέλυγμα. \*\*\* Suspiciones,  
quas & improbè configis, & odiosè spargis,  
vel illud Cassianum: *Cui bono*, facile diluet, si  
mea sit nota & conditio, & libertas. Et quid  
tandem meâ privatim interest, sive ster, sive ruat,  
quod oppugnas? Sed rursus fallis, cùm men-  
tiris, iocios hîc tibi esse, quos laudas. Sanè  
Confessio illa Augustana, quam interdum si-  
mulas tibi non displicere, profitetur, retinen-  
dam esse aliquam Missam. Noli, mi Vir, co-  
horrescere: Sic enim tuus in eâ Confessione  
*Philippus* loquitur. An tu illam Lutheranam  
Liturgiam retines? An retines quidquam, in eo  
genere, majorum nostrorum, quos ante bar-  
bariem fuisse bonos, negare non potes? Ex

Vete-

---

\* Iis, qui à vobis baptizantur, non conferunt  
sacrosanctum Christum; & iis, qui ex Hæresi  
corpori Ecclesiæ uniuntur, christum Patres om-  
ni laude digni injunxerunt.

\* Belli Socios.

\*\*\* Rem execrandam.

Veteribus, & Ceremoniis; & formulis Liturgicis saltem aliquid retinet Anglicā, quae Bucerana est, Liturgia; quī fit, ut tu tantillum non servaveris? An tu primae simplicitati formam nudam solum amplecti te posse dices? Atqui cūm tuus *Joannes Lascus* magis, quām tu, ad illius, ut vocas, simplicitatis prima hīneamenta diceretur suam Liturgiam revocāsse, tu nē eam quidem ferre potuisti. Si tibi nihil, nisi quod ipse facis, placet, cur mihi tuum cum aliis consensum objicis? Cūm ad rem tuān pertinere putas, non dubitas laudare vetus illud: *Sursum Corda*: atqui id etiam expunxisti in tuis sacris; quod facere non est ausus in suā formulā BUCERUS; neque Angli ausi sunt, cūm cogitarent, quid alioqui vel ipsi CYPRIANO, vel etiam CHRYSOSTOMO responderent, magnificè prædicantibus illam Ecclesiæ Apostolicæ in sacris cohortationem.

Ipse OPTATUS, cūm narrat, veterem, legitimūmque morem fuisse, ut in Sacramentorum Mysterio Sacerdotes dicerent, se offerre pro Ecclesiâ, in toto Orbe diffusâ, testatur, ne ipso quidem Schismaticos Donatistas ausos esse, quod tamen cupivissent, id silentio prætermittere. Vide tu, quid responsurus sis viris bonis, qui antiquorum in Ecclesiâ rituum optimorum, precūmque solennium oblivisci non possunt; dolēntque, nunc veteris Ecclesiæ, tanquam Iudaicæ Synagogæ, aut Pagani alicujus Delubri memoriam sempiternâ oblivione deleri. Ipsa Apo-

Apostoli etsi necessariò abrogarent Ceremonias Mosaicas; tamen bono consilio ex Synagogâ ad Ecclesiam transtulerunt multos, qui utiles erant, ritus; multas Judæorum formulas retinuerunt, quibus etiam Christiani uterentur, & uti per suam Religionem rectè poterant: & tu nullam in antiquis formulis actionum Ecclesiasticarum reperisti, quâ uti dignareris, ut tantillum deferres & antiquitati, & studio pacis, atque unitatis?

Vereor, ne hîc aliquis irrideat formularium leguleium, & opponat legem de formulis sublatis. Sed cur tu tam delectoris extraordina- riis actionibus? Lex illa cum formulis sustulit etiam impetrationem. Quis iste est Prætor peregrinus, qui vult abs se impetrari formu- las rerum in Ecclesiâ agendarum? Quid quod, quas semel dictavit, deditque, tam stricti ju- ris esse vult, ut, ex fide bonâ, ne apicem qui- dem in iis ullum præteriri patiatur? Sanè cùm amici tui te verecundè monerent, multos mi- rari, quod in novâ tuâ precandi formulâ præ- scripsisti, posse Christianos melius fœdus, quâ illud sit, quod cum *Abraham* iustum fuit, allegare; &, ut ambiguum, & captio- sum verbum tolleres, te rogarent, ne quis di- versa esse hæc fœdera periculosè putaret; tu seditiones esse hos monitores, tumultuosè ex- clamasti, qui vel unum apicem deleri in tuis libellis vellent. Nempe si vel unâ syllabâ ca- dimus, cùm tu aliquid dictâsti, causâ totâ ca- dimus.

dimus. Et tu interea non modò dictator in universâ Ecclesiâ, sed etiam cancellarius eris? Delebis, inquam, & cancellabis impunè, quidquid tibi non arridet, tametsi quidpiam sit, quod & antiquitas rectè præscripsit, & hoc tempore ii etiam observare non recusant, quibus te subscribere fingis?

Evidem interdum dubito, inscitiâne, an arrogantiâ, an potius utrâque fiat, ut non discernant tui, quid in Ritibus Ecclesiasticis antiquum, quid novum, quid integrum, quid vitiosum sit, ut potius confusè omnia inducant; & expungant, ut damnent omnia. Sed magis miror, istinc prodire scurriles libellos, qui, ad ludibrium nominis Christiani, ausint NUMÆ POMPILIO adscribere multa veterum Christianorum religiosa instituta. Noli (quod soles) nunc mihi barbaræ posteritatis vitia objicere, quæ ego non minùs, quàm tu, reprehendo. Noli bona cum malis odiosè miscere: imò verò memineris, quod CICERO ait, *esse ini quam in omni re accusandâ, prætermissis bonis, malorum enumerationem, vitiorumque selectio nem.*\* Dicerem, te tam literas amare in ecclesiâ, quàm odiisti omnes omnium, præterquam tuarum imaginum lineas: sed cùm ali quid substituisti, ne literam quidem unam in eo mutari pateris. Denique mirarer, te veteris quoque Ecclesiæ cantum, ut novam tuam

Musi-

---

\* De legibus.

Musicam subrogares, sustulisse. Sed hanc mutationem magni ad rem tuam esse momenti, ex ipso quoque PLATONE discere potuisti.

Ceterum cum haec principia tuae Reformationis significant, te ab aliis dissentire, & peculiarem aliquam sectam meditari, in quam solus emineas (quod quidem nos pueri minime olim vidimus; sed viderunt viri prudenteres) tu deinde eò progressus es, ut de eo, quod ambis, nemo dubitaret. Sed id postea fortasse viderimus, si nos cogas eâ quoque de re dicere: non enim, nisi coactus, meminero. Neque jam meminissem earum, de quibus breviter dixi, ceremoniarum, nisi si libellus tuus me lacefendo, & BUCERI consensum, atque societatem jactando, coegisset. Sic &, cum Philippum præterea mihi opponis, adiges me, ut dicam, quod dicturus alioqui non eram.

Ut te collaudes, & me percellas, MELANCTHONEM accersis, cuius, ais, unam vocem posse obruere omnes meos (ut pro caninâ tuâ facundiâ suaviter loqui soles) latratus: quosnam, ô Molosse? propè dixi: Cerbere: & tu, qui me subinde canem vocas, dignus eras, qui id audires: si autem vel catulus essem, mutum fortasse hylacten \* non esse, sentirent sacrilegi. Verum, me & cedente, & racente,

---

\* Mōre canis latrantem.

cur *Philippum* advocas, præfertim mortuum? Utinam illum, quem appellas testem, judicem nunc haberemus (tametsi idonei testes non desint) quām ille postremis vitæ suæ annis, quibus eum vidi, & audimus, conquere retur de tuā perfractā (ut mollissimè loquebatur) morositate; quāmque minaretur, te nihil temperanter agere, semper tumultuari, nunquam quiescere! Neque verò ignoras, quām ille esset συμβιβασμὸς, \* quāmque remittere multa vellet, pacis causā: denique quām odifset ingenia, non dicam calva, aut Domitiana, sed ἐριστικὰ, καὶ ἀνθάδη. \*\* Verūm cailidè scilicet illud dissimulas, quod è re tuā non esse putas, ut Gallia sciat: & quem imitari minimè velles, quique mores tuos minimè ferebat, ejus societate me oppugnas. Eum ego vidi, & conveni in conventu Wormatiensi Anno MDL VII.: quid mihi dixerit, narrent alii: quid autem responderit tuo sive legato, sive Apostolo, de turbis Gallicis jam tum gliscentibus agenti, multi, qui aderant, sciunt. Venit eò & ipse *Cassander*: exceptus est ut homo doctissimus, atque modestissimus ab homine modestissimo, atque doctissimo. Audita sunt bona consilia; placuerunt bonis; quod rescire vel ex tuo, qui aderat, librario potuisti.

*Quid*

\* *Pacificatorius.*

\*\* *Contentioſa*, & ita ſibi placentia, ut congreſum aliorum fugiant, & cum nemine com-  
mercium habeant.

Quid dicam? illa fuisse comitia, in quibus aliquod privilegium de tuâ intemperantiâ irrogatum sit? Quid diceret, si nunc viveret, & quæ gesta, tuo imperio, ad hunc usque diem in perturbandâ Galliâ sunt, vel geruntur, audiret? Porrò cùm ex eo, ut scis, conventu amicissimè scripsisset ad *Castalionem*, & ejus sententiam, nescio quam, de prædestinatione, & libero arbitrio, suam esse significaret; scire potuisti, & quâm damnaret tuam in eo viro vexando intemperiem, & quâm ne tum quidem probaret omnia tua paroха. Nunc cuius est ingenuitatis, *Castalionem*, tanquam satanam alterum, diris omnibus propterea devovere; & nihilominus MELANCTHONEM, tanquam Angelum adorare? Annon illud est, quod BUCERUS dicebat, *te judicare, prout amas, vel odisti; amare autem, vel odisse, prout libet?*

Equidem arcanam illam περὶ ἀναγκῆς.\* quæstionem non excutio; neque *Castalionem* (ne iterum fingas, me ejus causam agere) unquam vel vidi, vel audivi; ac ne per literas quidem unquam sum locutus (tametsi tuo more mentiaris, me cum eo arctissimum fœdus iniisse) neque, quod de eâ quæstione scripsit (nam & id supprimi pro tuo imperio jussisti) unquam legi: neque quod de fatali necessitate disputas, satis intelligo; & in meis *ad Minucium Annotationibus* nuper non dissimulavi,

Z 4

mihi

\* De Prædestinatione.

mihi non liquere. Sed ut omnes sciant, ec-  
quid etiam olim, hoc est, ante annos propè  
viginti, familiariter tibi hâc de re responderit  
ille, quem jactas suffragatorem, laudatorem-  
que esse tuum, MELANTHON, cùm quidem  
tu illi blanditus, etiam librum de *Servitute*  
*humani arbitrii* dedicasses, & *avtidoꝝ* \*  
exspectares; age, bonâ tuâ gratiâ, liceat ex  
eius ad te privatâ epistolâ (cujus exemplar ex  
Vitebergâ hac perlatum est) aliquid delibare:  
*Malim* (inquit) *te illam tuam excellentem eloquen-*  
*tiam in aliis materiis, magis propriis Ecclesiæ,*  
*consumere, quam in quæstione trépi avayuñ.* \*\*  
*Habebam amicum Tubingæ, doctum hominem,*  
*Franciscum Stadianum, qui dicere solebat, se*  
*utrumque probare: evenire omnia, ut divina Pro-*  
*videntia decrevit; & tamen esse contingentiam;*  
*sed se hæc conciliare non posse. Ego cùm hypo-*  
*thesin hanc teneam, Deum non esse causam peccati,*  
*nec velle peccatum; postea contingentiam in hâc*  
*nostrâ infirmitate judicii nostri admitto, ut sciant*  
*rudes, Davidem suâ voluntate ultrò ruere: &*  
*eundem sentio, cùm haberet Spiritum Sanctum,*  
*potuisse eundem retinere, & in eâ lucâ aliquam*  
*esse voluntatis actionem. Hæc et si subtilius dispu-*  
*tari possunt; tamen ad regendas mentes hoc mo-*  
*do proposita, accommoda videntur. Accusamus*  
*ipſi nostram voluntatem, cùm labimur; non quæ-*  
*rimus*

---

\* *Donum reciprocum.*


\*\* *De Prædestinatione.*

rimus in Dei cofilio causam: econtrâ cùm nos erimus, scimus Deum & velle opitulari, & adesse lactantibus: μόνον Θελητον, inquit Basilius, καὶ θεὸς παραπάντα. \* Excitatur ergo cura in nobis, & laudatur Dei immensa Bonitas, qui & promisit auxilium, & præstat, sed potentibus (ut inquit Christus) hoc est, iis, qui promissionem intuentur: nam à verbo Dei ordiendum est, nec repugnandum promissioni: sed ei assentiamur; nec disputeremus antea, tunc nos assensuros esse, cùm arcانum Decretum Dei nobis monstratum fuerit: assentientem autem Deus adjuvat, qui per verbum est efficax. Hæc Bonnæ scripsi apud D. Bucerum. &c. Vale. II. Maii, 1543. \*\*

## PHILIPPUS MELANCHTHON.

\* Solùm velis, & Deus occurrit.

\*\* CAMERARIUS in Vita MELANCHTHONIS §. LIX. scribit: *Philippus Melanchton anno Christi M. D. XLIII. deducente pietate, & virtute, atque eruditione doctrinæ præstante viro Petro Medmanno, mandato Archiepiscopi, mense Aprili iter ingressus, ad Princivem venit Bonnam, ubi ille tum commorans rem istam agebat, & rediit ad suos menſe Augusto.*



**Q**uām vel hæc tibi placuerit admonitio, vel tu huic Magistro, quem mihi das, parueris, testantur ea, quæ postea tantò vehementius contrà scripsisti; & in quibus sic tumultuatus es, ut nequidem tui, alioqui fœderati, ferre potuerint tuam in hoc genere intemperiem, & suos ministros tibi subscribere. Testis est ipsius Senatū Bernensis sententia lata III. Aprilis, MDL V., quæ tua illa axiomata procul ex suis ditionibus faceſſe-re jussit. Nolo plura objicere, quæ te gravius vulnerent. Sed hinc æſtimare licet, quām tibi conveniat cum eo, quem tu mihi objicis.

Tu illum (ut audio) aliquando vocavisti Peripateticum, cùm ille te vocaret Stoicum: sed si excuterem arcana, liqueret, inter te, & illum dissentionem fuisse majorem, quām inter Stoicos, & Peripateticos: neque tamen, hujusce rei nunc mentionem fecissem, nisi si in priori tuo contra me famoso libello exclamares, insultando, ut cum redemptione, de quā loquitur PAULUS, conciliem Papatū (sicuti loqueris) doctrinam de libro arbitrio, & dicam, quomodo cùm adjutrice spiritus gratiā concurrat hominis voluntas. Cur ifta abs me petis potius, quām tuo MELANCTHONI, qui tibi adversatur, respondeas? Audiveras paulò antè, quām hæc scriberes, in Saxoniam inter

Illyri-

*Illyricum, & Victorinum magnam fuisse quæstionem περὶ ἀυτοῖς τιας, ή συνεγίας.*\* Tu *Illyricum*, qui tecum sentit, ferre non potes: *Victorinum*, qui MELANTHONEM sequitur, non oppugnas: me verò unum, qui talia non træto, nec fortasse intelligo, in Galliâ exagitas. Quo jure?

Si jam non de re, sed de personâ dicas agere te; et si invitus Lectores onerem ineptis editionibus; tamen ut, quem mihi Judicem fers, non recusare me ostendam; & adversus tua maledicta, ejus ipsius patrocinium retorqueam: en, cogor, tuo exemplo esse ineptus, ut quod alioqui pudor meus non pateretur, edam aliquam ejus ad me epistolam. Mihi veniam dabunt æqui Judices, si, non dico laudatorem, accersere, antiquo reorum more, videar; sed ab eo ipso, quem mihi adversarius opponit, absoluvi me non molestè feram, tantumque abs laudato viro mihi tribui, quantum illaudatus Calumniator, qui eum citat, detrahit, obiter ostendam: non quod tantum mihi deberi putem (quod si putarem, nimium mihi sumerem, nec essem ferendus) sed quod os adversario sit obstruendum.

S. D. Clariss. Vir, & Cariss. Frater. Extat apud Clementem Alexandrinum vetus Justitiae definitio, quæ recte intellecta dulcis est: di-

natio-

---

\* De propria voluntate, sive cooperatione.

καστύν ἐσὶ κοινωνία θεῶν, μετὰ ισότητος. \* Prior pars loquitur de priore Tabulâ De calogi; altera pars de secundâ: ac profectò utramque complectit bonas mentes oportet. Te igitur, Juris, & Iustitiae doctorem, scio non tantum forenses Leges, sed etiam eam doctrinam cogitare, quâ se se Deus humanis mentibus communicat, & utrumque bonum expetere, Κοινωνίαν θεῶν, καὶ τὸ νόμουν ἰσον. \*\* Quare te & diligo, & veneror, ac opto in Academiis, & in Aulis tales esse multos Juris Doctores. Bene vale. Cal. Mart. MDLIX.

### PHILIPPUS MELANCHTHON.

**A**udis, bone vir, virum bonum, quem laudas, valde alienum esse abs contumeliosâ tuâ maledicentiâ, Neque tamen talia adscriberem, si per te liceret ea supprimere: sed cum adversus tua venena requiro antidotum, tume cogis tuis maledicis obrectationibus opponere aliquod testimonium ejus viri, cuius fulgore me obruere vis.

Quid? ut iterum me percellas, etiam Bullingerum advucas suffragatorem tuum, & vencrandum,

---

\* Justitia est Communicatio Dei cum æquitate.

\*\* Communicationem Dei, & legitimam æquitatem.

randum, ut ais, Fratrem. Non dubito, quin ille plurimum tibi tribuat, neque in video. Sed age, an eum revereris? an ei vis fidem adhiberi? Iterum, ut tibi satisfaciām, ineptus, & propè puridus ero. Accipe, quam ille ad me, quem tamen nunquam vidi, ultro scripsit epistolam, cūm ego eum ne per literas quidem unquam salutasse: tantum abest, ut ambiendo elicuerim, quod scripsit.

S. D. Hodie demum incidi fortē fortunā in religiosissimum, & sapientissimum Constantiūnum rūm Balduine piissime, & doctissime: quem die crastinā, voluerit Dominus, absolvam legendo: id quod summa cum voluptate facturum me, sat scio, cūm principium ita mihi placuerit, ut nihil magis. Ago gratias Deo, qui eam tibi facultatem concessit. Dictio elegans est, & pura; tractatio valde perspicua; eruditio, & lectio varia; vivunt omnia, & salubria sunt &c. Vale. Tiguri XI. Mart. MDLV.

## HEINRICHUS BULLINGERUS

Non ausus sum, ne rumparis, & crepes, adscribere epistolam totam: sed ex Autographo, quod penes me est, habes satis, quod te urat. Neque verò existimes, me illius viri judicio efferti, ut non agnoscam, quam

quām ille & mihi, & illi *Constantino* meo \* plūs tribuat, quām mereamur. Ne labora, ut, nescio à quo, emendices aridas, & rancidas notas, quibus Commentarium illum meum deformes. Ego ipse meā spontē severius illum castigabo. Nunc obiter tantū volui duorum, quos laudas, virorum judicia tuis rictibus opponere.

Habésne nunc, quod me tuis faucibus eripiat? video, te multò magis infremere: quò igitur nunc te vertes? Si tuorum ministrorum testimonia reciperes; aut si iis ego uti, atque commendari vellem, equidem cùm tu non modò ingratè suppressere vis, quām in Germaniā bene de tuis meritus sim: sed etiam improbè fingis, quod est odiosum, opponerem illorum ad me literas, quas hīc ab iis consignatas, & in Germāniā missas, habeo testes meorum in hoc genere, non dicam, meritorum (quia hæc te vox offendit) sed officiorum atque beneficiorum. Verum protervia nunc tua, quæ est ingratissima, indigna est, quam tot verbis ambitiosè refellam.

Ergo te missum facerem lubenter; sed impius ipse essem, si dissimularem dolorem, quem mihi incessit novum quoddam maledicti genus,  
quod

---

\* Intellige Commentariorum de CONSTANTINI Imp. Legibus Ecclesiasticis, & civilibus. Libros, qui (ut nuper monebamus) anno 1727. recusi sunt.

quod ingeniosa tua crudelitas commenta est,  
ut me vehementer vulneres. Filiolam meam,  
quæ vix quatuor annorum est, dulce lenimen  
meorum dolorum, inhumaniter impetis; de  
quâ, si adolescat, impiè, vaticinaris, nescio  
quid. Sic infantes, quos CHRISTUS complexus  
est, quibuscque benedixit, proculcas, ô cru-  
delis, parentibus etiam insultans? Hic non  
dissimulo, talibus me aculeis commoveri. Sed  
vos, ô pueri, vos, ô patres, obtestor: vos,  
quorum interest, appello, num hoc tolerabi-  
le vulnus sit? Quid? Scripsit olim CICERO ad  
*Atticum*: *Filiolâ tuâ te delectari lætor, & pro-*  
*bari tibi, Φοστικὴν esse πρὸς τὰ Τόννα*, intelligit  
autem στοργήν. \* Negabant Epicurei, eam  
esse naturalem: *Atticum*, qui Epicureus alio-  
qui erat, factum patrem, ipsum experientia,  
naturalisque sensus coëgit repudiare tam dege-  
nerem, tamque barbarum stuporem. Et no-  
ster cælebs, Doctor Regenerationis imperabit  
nobis non ἀστοργίαν, \*\* sed etiam αἰπάδειαν. \*\*\*  
Neque verò (sicuti fingis) στοργὴ \*\*\*\* sit, &  
nobis parceret, & minus audax esses, quem  
video (sicuti ille olim Romanus dicebat) *Se-*  
*neclute, cælibatu, & orbitate fieri audacissimum.*

Equi-

---

\* Naturalem esse erga filios, intelligit autem  
amorem.

\*\* Carentiam naturalis amoris parentum in  
filios.

\*\*\* Affectionis carentiam.

\*\*\*\* Naturalis amor in filios.

Egidem vellem, & valde profecto vellem,  
DEUS te tali benedictione beasset. Sed glorio-  
sè ais, tibi esse filiorum myriades in toto or-  
be: non inquiero, spiritales, an spurii sint.  
Audio, te vel Papam Max., vel Patriarcham,  
vel Patrem Patrum propter tales fœcundita-  
tem & videri, & dici velle: quod facile patior.

Verùm est nimis indignum, quòd hic &  
somnia, & signifaces, te alterum esse ABRA-  
HAMUM, & interea, si quis tuis cupiditatibus  
obsistat, eum voces *Ismaëlem*. Quàm nunc  
occurunt multa, quæ audire deberes & de te  
multarum scilicet gentium patre, & de tuis  
gentibus, sive Agarenis, sive Saracenis, sive  
Ismaelitis, sive Israëlitis? sed velis, nobis,  
iterum tibi parcam. Tantùm te rogado, ne  
ex illis filiis tuis optimum quemque mactes sa-  
crificando: & cùm tuam tam numerosam gen-  
tem tibi relinquam, ne familiolam meam ve-  
xes. Quid enim? Eriam spoliatâ Aviâ, nescio  
quâ, quam certè vix me aliquando vidisse me-  
mini; & te privignis, nescio quid, odiosè,  
atque flagitiosè fabularis. Quid non tentas,  
& moves? Ego quid aliud, quàm te impro-  
bè mentiri, dicam? Sed vide, an privignus  
vivat tuus, cui plus quàm pater esse debuisti,  
cùm quidem ex Anabaptistâ Patre natum mo-  
re tuo regenerasti. Certè, si ejus mater vi-  
veret, credo, non negaret, quod domi tuæ  
sæpe apud me conquesta est, cùm, si qua  
malæ tractationis actio esset, rogaret.

Non-

Nondum satiata est maledicentia tua. Audes etiam improbè fingere, spoliatos à me esse meos, qui plus quām paternam pietatem meam sentiunt, & agnoscunt: etiamsi taceam; illi tuum maledictum refellent. Interea ex quo tu mandato, ô noster Procurator, agis, & quas habes probationes, ne iterum de calumniā daimneris, & pœnam temerè litigantium dependas de tuo? Cur non potius operam das, ut tot creditoribus, quos negare non potes, ab eo, cum quo deinceps affinitatem contraxisti, nefariè spoliatos esse, satisfacias, cùm quidem eos quotidie istic querentes audias, & te in societatem prædæ venisse vociferentur? Neque aliud persuadere possim nostratibus, quos tale latrocinium, quo Urbs nostra tota expilata est, etiam afflixit. Nunquāmne quiesces, ut non cogantur amici tui multa, quæ sepulta manere vellem, retegere? Etsi obduruimus ad injrias, & animum obfirmare conatur, ut non commoveatur; ut se contineat etiam provocatus; ut irritatus non erumpat; ut non effundat flamas iracundiæ: tamen homines sumus; & tu tam acerbus, & aculeatus es in pungendo, & lancingando, ut etiam truncos, & lapides commovere possis; possisque ab invitis exprimere, & veluti extundere vocem, quam mallent esse compressam. Utinam tu cum tuā Religione me docuisses non modò colaphum impingenti alteram genam cædendam præbere,

A A

sed

sed & jugulum porrigere, potius quam me cogeres ad hujus defensionis conditionem, quæ quavis carnificinâ mihi durior est. Sed quid non & facis, & dicis, ut me commoveas.

Quam tu denique mihi exprobres παιδαγωγίαν, \* nescio; sed scis, quam tibi possem διηγηγωγίαν. \*\* Continebo me tamen: ut me potius necessariò defendere, quam te videar ultrò accusare: tametsi difficile sit, multa, quæ objicis, refellere, quin aliquid tibi aspergatur; quia in maledico tuo Libello totidem propè sunt mendacia, quod sunt verba: finem nunquam fecero, si in singulis refellendis immorer.

Sed non patiar, ut aliis persuadeas, quod cum tuā etiam infamiā fingis de *Luciano*: quia, quem discipulum tuum esse dixeras, paulò post dixisti, esse discipulum *Luciani*, non ei modò, sed & tibi injuriam facere visus es. Ipse ingemuit, te, contumeliæ causā, descendere ad *Lucianum*, cùm alias te, honoris causā, apud amicos *Lucianum*, iisdem literis inverfis, vocare soleas. Sed an ille propterea te alterum *Lucianum* esse dixit? Si dixisset, non injuriā fortasse retorsisset convitium, quod prior objeceras; neque nunc non merereris id ab eo audire; quem iterum, ex tuo forte ingenio alios æstimans, impiè, & flagitosè eructas, nullum

---

\* Instructionem puerorum.

\*\* Instructionem populi.

nullum in Cælo credere esse Numen; quasi res aut levis, aut vulgaris esset *ἀθεότης*. \* Somnias, tibi semper rem esse cum aliquo *Theodoro*, vel *Diagora*. An hic iterum me reprimam? DEUM verum, & æternum, DEUM Patrem Domini nostri JESU CHRISTI, DEUM, qui in Cælis est, qui meus erit, tuusque Judex, iterum testem facio, vindicem invoco, & ultorem credo fore repetiti hujus maledicti impii. In sinu nunc licet rideas, cum impunè proculcas humiliores, & credulis illudis at scito, illum aliquando judicem fore tuæ & crudelitatis, & fraudis, & (audebo dicere) blasphemiae. Absit, ut vicissim te cum peregrino Lucianico (quod alius fortasse faceret) conferam. Sed iterum te moneo, ut, si pios homines, qui in tuas actiones intuentur, credere velis, multum in te esse Religionis; aliter, quam verba dando, aut commentarios scribendo, tuam pietatem probes. Nam commentarios quoque scripsit ille peregrinus; immo (quod tu nondum fecisti) carcerem, Religionis nomine subiit.

Audio, quod scribis, te sinè salvo conductu (ut vocas) voluisse in Galliam venire; & in eo te, tuis Collegis, non sinè aliquâ eorum ignominia, audaciorem fuisse significas: sed satis, superque turbarum das etiam absens; & salvum te, quod voles, arma sinè periculo circumducent. Sapis protecto, qui nunc tibi ca-

A a 2

ves

\* Atheismus.

ves post principia, & ex tuo lacu, tanquam portu, spectas aliorum naufragia: sed tuā interest, ne timidus videare. Ergo, ut aliás, cùm es extra jaētum teli, ingeminare soles illud: *Usque adēne mori miserum est?* Sic jam securè iterum jaētas, te in medias flamas venire velle. Verum opto tibi exitum meliorem, quām fuerit illius peregrini: simul verò opto, ut Gallia, quæ monstris olim caruisse dicitur, caveat; curet, ne quod impostoris monstrum ignorans adoret: quid enim fallacius, specie Religionis?

Feres æquo animo, religiosissime JOANNES, si iterum eos, quos fallis, moneam, aliud esse Religionem, aliud hominem: esse enim res diversas, quæ confundi minimè debeant. Patere, ut hujus confusionis error, qui multis imponit, & pro homine interdum Deum impie veluti supponit, ex multorum animis tollatur. Nam & hæc periculosisima Idololatria est, quæ est subtilissima. Ergo, ne tibi blandiaris; etsi tanto-pere Idololatras odisti, Calvinolatras ne exosculeris: imò, si quid habes Spiritus Apostolici, disrumparis, & vestes discindas potius, quām patiaris, te in Idolum transformari. Sentio, hic tuam atram bilem commoveri, non in degenes tuos, assentatores dicam, an cultores (qui tamen te clām irrident) sed in monitores amicos, atque ingenuos, quos ferre non potes. Quò igitur me vertam?

Terribilis es, ô noster Irenæe, cum pro coronide suavissimi, atque amatorii tui Libelli, fūriosè

riosè exclamas, me esse facem prorsus furialem  
ad excitandas discordias. Hic ego meam pa-  
tientiam ab istâ (commotus propè dixi) furiâ  
tam importunè lædi sentio, mihi temperare vix,  
ac ne vix quidem possim. Itáne verò tu,

*Qui potes unanimes armare in prælia fratres,  
Atque odiis versare domos, & verbera tectis;  
Funereasque inferre faces &c. \**

Tune nobis in abdito literarum recessu quies-  
centibus, neque minus pacem, quam disturbas,  
desiderantibus, quām discordias abs te excitatas,  
quas sedare non possumus, lugentibus, ridendo,  
& insultando exprobrabis, & adscribes tua stra-  
tagemata? Quorum utinam testem non relin-  
quas nobilissimi hujus Regni tristissimam vasti-  
tatem! Vix me contineo, quin de Romanâ illa  
Matronâ, quæ facem se peperisse somniavit, di-  
cam aliquid. Sed obsecro, qui in hoc Regnum  
immisit vulpem, ejusque caudæ tædas ardentes  
alligavit, ut, quocunque discurrat, incendium  
excitet; nobis lugentibus, gloriabitur, se se id,  
*Samsonis* alicujus exemplo, fecisse; & tamen  
miseros agricolas suis segetibus faces submisisse  
narrabit? An & tu, quæ inter tuas Furias ex-  
ultas, mediis in millibus ardens, ô *Tisiphone*,  
voles etiamnum haberi pro Angelo Pacis? Sci-  
licet ignota est, neque à quoquam conspici-  
tur hæc *Erinnys*:

A a 3

*Quam*


---

\* VIRGILIUS Aen. Lib. VII. v. 335.

*Quam cum sanguineo sequitur Bellana flagello,  
Et . . . scissâ gaudens Discordia pallâ.* \*

Nam sæpe cogor uti verbis hujus Poëtæ, cuius carmine, tanquam, ut ait, tinnitu delectatur noster Tubicen.

Evidem, ô Dictator rei gerendæ, ecquid jam multis annis istic agas, non invitus ignoravi: tantum abest, ut curiosè (quod facis) sciscitatus sim, quæ ad me non pertinent. Sed si dicendum tamen esset de turbis, quas nunc in Galliâ etiam absens moves, exclamarem illud ejusdem Poëtæ

*Pandite nunc Helicona, Deæ, cantusque movete:  
Qui bello exciti Reges; quæ quémque secutæ  
Complevint campos acies &c.* \*\*

Certè cùm eos hodie versus relegerein, cohorri; cùm quidam suggestit, in eodem librò paulò antè proponi quandam, non tuam, sed seditiosi alicujus concionatoris veluti effigiem, ubi describitur illa *Aleæto*,

*Gorgoneis infesta venenis, \*\*\*  
- - Quæ stabili de culmine summo  
Pastorale canit signum, cornuque recurvo  
Tartaream intendit vocem.* \*\*\*\*

Nam

---

\* VIRGILIUS *Aen.* Lib. VIII. v. 703.

\*\* VIRGILIUS *Aen.* Lib. VII. v. 641.

\*\*\* cit. Lib. VII. v. 341.

\*\*\*\* cit. Lib. VII. v. 511.

Nam & istud deinde sequitur:

*Alecto torvam faciem, & furialia membra  
Exuit in vultus se se transformat aniles;  
Et frontem obscenam rugis arat; induit albos.  
Cum vittâ crines; tum ramum innectit Olivæ;  
Fit Chalybe, Junonis anus, templique sa-  
cerdos &c.* \*

Aderat alias quidam paulò minùs incivilis, qui horum temporum historiam cum Romanâ conferens, nescio quid de seditionis, præsertim post *Gracchos*, Tribunis plebis (quos concionatores vocat ipse AUGUSTINUS) referebat, de *L. Saturnino*, de *Livio Druso*, de *P. Sulpitio*. Alius ex historia ecclesiasticâ magis accommodatè commemorabat multa; quæ ad ea, quæ nunc fiunt in ipsis tumultibus ecclesiasticis, propius accedere videbantur. Et, qui abs te minùs erant alieni, dicebant, te *Joanni Antiocheno*, *CYRILLI* adversario similiorem esse, quam *JOANNI CHRYSOSTOMO*.

De moribus, & ingenio loquebantur, fingebantque, te quasi Antistitem esse, ut cum veteribus Episcopis potius, quam cum Hæresiarchis, comparari posses. Utinam verò illius saltem *Joannis Antiocheni* conversionem tandem imitareris! Malles; credo, non jam dico cum *DIOSCORO*, *Alexandrino Antistite*, sed cum ejus decessore *CYRILLO* conferri. Sed

A a 4

Pali-

\* VIRGILIUS *Aen.* Lib. VII. v. 415.

Palinodiam canere debebis, si, quod Julianus, nos  
tros (quasi ii abs se dissentientes occide-  
rent) accusanti responderit CYRILLUS; laudare,  
atque imitari velis: utque is pœnitentiam agere  
non recusavit, cum diceretur non improbasse  
necem vel *hypatiae*, fœminæ eruditæ, Ethnicæ  
ramen, vel *Orestis*, Præfecti Alexandrini, eodem  
furore occisi; necesse erit, ut & tu sæpius, quām  
velles, confitearis, pœnitere te tot cædium, à  
quibusdam, qui tui dicuntur, perpetratarum,  
O Pater parate!

Et quia in priori responione, Crysostomi,  
quem indignè vexavit *Theophilus*, mentionem  
feci, nunc etiam te moneo, ut memineris, Cy-  
rillum, patrui illius sui exemplo, aliquando ini-  
quiorem innocentiae, atque memoriae Chry-  
sostomi, tandem, relictâ calumniâ, verisati te-  
stimonium ingenium dedisse. Hæc exempla  
potius tibi ad imitationem proponito, quām  
aut *Georgij*, Ariani Antitistis, aut aliqujns *Dios-*  
*cori*, Eurychianis Monachis septi, ne, cum non  
eadem doceas, facias eadem. Scio, tibi non  
molestam modò esse, sed & acerbam hanc ad-  
monitionem meam: sed res, temporaque co-  
gunt me παρρησιάζειν. \*

Ut autem deinceps non erres in Authori-  
bus discordiæ notandis, valde te rogo, sæpius  
ut te, & tuos, præserium in hoc plus quām ci-  
vili

---

\* Ingenuè, planèque dicere.

vili bello, respicias. Respicias illos Demagogos, \* qui miseram multitudinem, quam devinctam, non ut ille olim Hercules Gallicus, trahunt, & circumagunt, sed ut Siculus quidam Cunus, cogunt, & armant; ac ne pax coalescere possit, jubent facinus aliquod magnum perpetrari, quod reconciliationis spem nullam relinquat, lætique deinde illud insultantis furiæ (nam iterum occurrit *Alecto*) intonant:

*En: perfecta tibi bello discordia tristi:  
Dic, in amicitiam coëapt; & fædera jungant &c.*\*\*

Atque utinam non nisi unus, qualis apud eundem Poëtam, obstaret *Messapus*, avidus confundere fœdus. Sed quām indignum est, abs talibus bonos feciales accusari pacis perturbatæ?

Nihil apud te possum dissimulare, Vir amicissime. Gaudebam hisce diebus, & gaudebam vehementer, cum audirem quendam tui ordinis (sed quem fortasse minùs, quām ego, diligis) in mediis castris (scis, de quibus loquar) concionatum esse de pacis conditionibus studiosè quærēndis, & de columbā, quæ abs *Nobæ* emissa retulit symbolum humanæ cum DEO reconciliationis. Sed majori mox dolore affectus sum, cùm narrarent, eodem & tempore, & loco, illius collegam, quem tam valde amas, etiam frementibus, qui circumstabant, militi-

A a s bus,

\* Populi ductores.

\*\* VIRGIL. *Æn.* Lib. VII. v. 545.

bus, nonnullis, minimè malis, & indignè ferentibus, contrà esse concionatum de non ineundis consiliis pacis. Quale dices fuisse Clasicum ejus concionatoris,

- - - - *Quo non præstantior alter  
Ære ciere viros, Martemque accendere cantu.*

Sed quid aliud exspectare poterant, qui eum antea (non dicam talem Apostolum minimè apostolicè spirare nescio quid Carilinarium) sed tuum, ô Dictator, magistrum equitum hīc audierant armatum, sub dio concionantem de contemptu mortis? Iniquus fuero, si alienum tibi factum exprobrem, quod præstare nec possis, nec debeas. Sed alia sunt ejus generis plura, quibus te teneri meminisse debes, quoties de tumultu alium accusas: quæ certè non minùs aut personâ tuâ, aut tuâ professione sunt indigna. Et miraris, si jam pridem tibi quidam respondit, quod olim Civilis Lex cuidam Philosopho responderat: *Professio, & desiderium tuum discrepant.*

Objicies mihi, quam voles ambitionem, cādem fronte, quā discordiarum culpam. Sed nōnne metuis, ne cum tuâ malè simulatâ Philosophiâ audias illud nostri TERTULLIANI: \*\* *Pythagoras apud Thurios Tyrannidem affectat?*

An

\* VIRGIL. Æn. Lib. VI. v. 164.

\*\* In Apologetico adversus Gentes Cap. XLVI.

An replicabis, quod ARNOBIUS. \* Pythagoras, inquit, Samius suspicione dominationis injustâ vivus concrematus in fano est? Sed occurrit, qui nos terret, APPIANUS, cum in suo Mithridatico narrat, Philosophos, specioso sapientiae titulo, Tyrannidem affectasse, & eam consecutos, crudeliores fuisse, quam ulli sint Tyranni indocti. An nos iis subserviemus? Obscro, ne toties me cegas causam dicere, cur meum, quod antea fortasse fuit, deinde non fuerit: si (quod improbè fingis) commoda nostra sequeremur; certè tam fatui non sumus (etsi fatuos esse nos dicas) quin regnantem, proposita magnâ mercede obsequii, sequeremur, cum secuti miserum sumus magno cum rei nostræ familiaris dispendio. Faceremus potius, quod quidam sectatores nunc faciunt, qui spe prædæ, opimorūmque spoliorum tua castra, stāmque sequuntur. Scito itaque, me solâ conscientiâ revocari.

Cùm olim illud TERTULLIANI sæpe in ore haberet: *Huic sectæ magis occidi licet, quam occidere:* cùm damnares Ethnicos Philosophos, qui Tyrannicidas nimium laudârunt; & doctores, longè aliam esse Christianam Philosophiam, quæ ne Tyrannum quidem interfici à privato, fas esse judicat: cùm Ecclesiæ insignia, crucem, & æruinas esse profitebaris: cùm exul, & egens, geménsque demisso vultu conciona-

---

\* Adversus gentes Lib. I. p. m. 28.

cionabar de patientiâ, de charitate, de regeneratione; magna argumenta dabas Religionis, atque pietatis; & nos propterea te audiebamus lubenter. At, cùm, rebus deinde commutatis, audivimus omnia contraria, speciosis licet verbis tecta, annon fuit necesse viro bono ab iis dissentire? Objicies, quam voles mihi discordiam, cuius tamen antea significationem pertinuem dedi: sed apertè nunc profiteor, me alienum esse ab iis, quæ in factione tuâ sentio esse aliena abs Christianâ Religione, jure, & humanitate.

Leviora sunt illa scilicet, cùm & Statuis, & sepulchris, & ossibus Principum, & Martyrum barbarum bellum indictum videmus: cùm civitates occupari; cùm fana spoliari audimus: & reliquarum (ut vocas) inventarium non temerè olim editum abs te fuisse, nunc intelligimus: O singularem istam tuam Religionis curam! O Reformationem admirabilem! Sed graviora sunt alia, quæ perhorrescimus: quæ si neque tuis auspiciis, neque tuo imperio, consiliove fieri dicas, vide, quid responsuras sis iis, qui faciunt: Certè miseræ, lugentique Galliæ non statim satisficeris. Olim CICERO in hominem Calventiæ (ut agebat) potius Calpurniæ Familiæ, dixit: *Neque verò multum interest, præsertim in Consule, utrum ipse perniciosis legibus, improbisque eoncionibus Rempubl. vexet, an alios vexare patiatur.* Quid, si non patiatur modò;

modò; sed etiam velit, & jubeat? Nolo quidquam in te dicere acerbius; neque meum est, accusare quemquam: liceat mihi, modò non laudare, quod malum est; & tranquillæ meæ secessioni venia detur.

Hic ego tandem desinere putabam (quod miserè cupiebam) ut tè missum facerem (cum quo luctari nimis mihi molestum est) & ad meliora mea studia redire: sed tu nondum me missum facis: nam tu tuo Libello assuisti acerbiores etiam accessiones, de quibus si nihil dixerim, iterum periero. Nimis profectò dura est conditio hujus pugnæ, qua me exerces, & huc, illuc jaçtatum exagitas: sed, quando ita vis, ferenda est.

Posteaquam fatigasti te maledicendo, evocas Manes DUAREN, cui veluti in decursu hanc lampada tradas: &, nescio quam ejus infaustam declamationem, quam ille ante mortem suam sepelierat, eruis, ut hanc rursus in me veluti funereum facem vibres, eâ fide, quâ perfidius puer tuus eam primùm elicuit ab Authore, quem clàm incitavit, & ad se scriptam, inscio me, in cuius tamen sinu tunc erat, sparsit: tametsi nunc, eam istic recudendo, suppresserit Librarius tuus honorificam ejus inscriptionem. Evidem quò magis cogito, quænam sint artes sive tuæ, sive tuorum: tantò magis obstupesco, cum summâ fraude conjunctam esse summam stultitiam. Stultitiae incredibilis est,

adver-

adversario, qui tuam Institutionem damnavit, ultiro subscribere, atque etiam eum laudate, & ut Patronus tuus sit, advocare: sed fraudis majoris est, fingere, eum esse tuarum partium.

Quid dicam, mirari me, Librarium tuum potuisse hic tibi servire? an oblitus est, se se etiam in communi ad illam declamationem responsione ante annos septem illud Duarenicum scriptum, suâ manu jugulasse, & in eâ palam professum esse, se se nec posse, nec debere typos suos talibus scriptis commaculare? Fortasse dicet, se se id respondisse, cum abs DUARENO rogaretur; sed, cum abs te nunc rogatus est, sententiam mutasse. Accipio excusationem mancipii frugi, & fidelis. Mirarer tamen rursus, cum eo scripto non excudisse illam responsionem, præsertim cum tuâ potissimum causâ scripta esset, & ille in eâ partem haberet suam: sed homo cautus in mendacio deprehendi noluit. Imò verò DEUS illi non minùs, quam tibi, mentem, credo eripuit, ut neuter nunc, quid agat, videat.

DUARENUM, quem viventem, tanquam, ut loqui soles, Apostamat execrabis, nunc laudas mortuum. Rectè, & candidè. Sed quomodo tibi consulis, cum hunc Jurisconsultum tibi accersis Judicem, aut Patronum? Ille moriens (ut seriò judicasse sentias) detestatus est tuam Sectam; quod etiam judicium ad sempiternam

ternam Posteritatis memoriam relatum est in Franciæ Annales maximos. Quid? Superstites reliquit de Sacerdotiis, & Ministeriis, & Beneficiis Commentarios, quibus planè confoditur, quidquid tu de Ecclesiâ tam prolixè doces in tuâ Institutione. Nunc commentarios illos commendas: quis non laudet incredibilem candorem tuæ simplicitatis, atque modestiæ? Quis non amentes fuisse dicet eos, qui tuam Institutionem defendere conati sunt? Imò verò quis tuam nunc non admiretur demen-tiam, atque cæcitatem? Age, per me sanè licet, ut, quando ita vis, DUARENO etiam jugulum præbeas; & deinceps alios etiam, si vis, monebo, tibi nunc placere, quod ille contra tuam de Ecclesiæ Ministeriis institutionem scripsit. Videris tu, quâ ratione tunc placabis tuos ministros, quos tali ipse jugulabis confessione.

At respōsionem, DUARENO oppositam, displicuisse tibi narras, quia, cùm significaret, illum quædam ex libris surripuisse, scilicet ei periculum capit is tali indicio crebat; te autem quidvis pati malle, quām ut alterum quis lædat. Næ tu, Vir optime, mirabilis es Artifex simulandi, atque illudendi! Tu quoties in aliquem scribis, nihil non & quæris, & fingis, & facis, ut adversarium non tam refellas, quām traducas, & ad rogum trahas. Testes sunt omnes tuæ pugnaces, atque invectivæ, insidiosæque accusationes. Sed & quodam loco glo-  
riaris,

riaris, & triumphas, quendam in Belgicā, insidio tui libelli, ad supplicium capitū abrep-tum esse. Et ne longius abeam, illa ipsa, quam nunc in me edidisti, farrago furiosa quid aliud vel agit, vel captat? Et interea non pudebit flebiliter queri, non esse habitam rationem Duarenici, nescio cuius periculi, quod certe nullum fuisse res ipsa loquitur? Porrò ut magis constet, ecquid præsidii habeas in eo Viro, cuius nomen, tanquam Gorgonis caput, mihi obvertis; &, cùm illi patrocinaris, quām sapienter tibi consulas, caveásque: equidem facerem non invitus, ut singulis collatis, & inter se commissis capitibus ostenderem, quām valde dissideatis in Ecclesiæ Ministeriis describendis; ut, si ille de iis bene senserit, te pessime sentire sit necesse. Sed neque otii, neque temporis tantum mihi nunc datur, quantum ad eam rem esset necesse.

Quid autem, si addere vellem alium quaerundam in eo genere tuarum ψευδολογίῶν, \* quas ille non notavit, indicem? Certè de non unius verbi, χειροτονίσαντες, \*\* interpretatione tuâ, quam ille exagit, respondendum tibi esset. Non est nunc mihi præ manibus institutio tua: sed si rectè memini, recordor te in eo capite de Ecclesiâ, & ejus Gubernatione

\* Mendaciorum.

\*\* Catholici vertunt: *manum imponentes*; Protestantes contra: *per suffragia creantes*.

tione valde exultare, cùm canonem quendam de provocatione ad Episcopum Rom. clamas esse supposititium, qui cùm Nicænus esse diceretur, inventus sit esse Sardicensis. Fateor, vir doctissime, hoc quoque me olim credidisse, cùm diligenter non inquirerem in historiam, quam narrares. Sed postea sum expertus, vafrum illum Siculum non temere olim monuisse, non temere esse credendum. Fateor, illum canonem non fuisse inventum in græcis exemplaribus, quæ Africani Patres consuluerunt: sed fictum propterea fuisse, inde non conficiet Dialectica tua, non magis, quâm illum, quem cùm sibi ignotum fuisse fateatur AUGUSTINUS, non fuisse in Africâ per vulgatum significat. Quid? non modò ipse ATHANASIUS, sed & qui cum eo fuerunt in Alexandrinâ Synodo Episcopi, Ægypti, Thebaidos, & Lybiæ, quorum plerique Nicæno Concilio interfuerant, locupletissimi profectò, & classici testes, in suâ ad FELICEM Rom. Episc. Epistolâ affirmant, illud de provocatione decretum fuisse Nicææ: quod deinde rursus potuit, ut alia pleraque, repeti Sardiæ.

Istud obiter dico, ut in mentem mihi nunc venit, non ut de jure illius provocacionis contendam; sed ut de facto, deque historiâ, in quâ si tu meam diligentiam, ego tuam fidem requiro, te, & me submoneam: nam hic falli, labi, mentiri turpe est, præsertim tibi.

Itaque & illud, quod eodem loco tam confidenter jactas, & ego te secutus aliquando temerè tradidi, de *Donati* adversùs *Cæcilianum* ab Episcopo Rom. ad CONSTANTIUM provocatione, datóque cum aliis Episcopo Arelatensi, vellem mecum diligentius retractares. Nam si OPTATUM, & epistolam CONSTANTINI, & acta Arelatensis illius Synodi, quæ nuper natus sum, consulamns, liquebit, præpostaram, atque inanem esse, quam ex illâ historiâ repetis, argumentationem. Tantumque absit, ut CONSTANTINUS tale provocationis genus laudârit, ut etiam econtra exclamarit; *et rabida furoris audacia &c.*: hanc enim esse veram lectionem OPTATI, neque emendationem, quam nuper doctissimus Jurisconsultus tradidit, admitti posse, aliâ ostendam. Nunc, velim, mihi ignoscas, si præter opinionem huc delapsa sit oratio mea. Illud modò volebam, ut cogitares, tam nondum castigatas esse tuas *Institutiones*, quin aliquod etiamnum mendum, et si de historiâ tantum agatur, in iis hæreat, ut in meis esse plurima, ut admonerer, curâsti. Nunc ad famosum, & mendax scriptum Duarenicum, quod in me recudi voluisti, reverterer, nisi si jam pridem refutatum esset, & esset aliâ responsione indignum. Nam quod in eo, si fortè id nondum animadvertisisti, *Novatus* appellaris, mihi quidem certè dolet; sed id refutare, tuum est.

Porrò,

Porrò, quòd DUARENO non contentus, ad-  
voçes alios quosdam Jurisconsultos, quos ve-  
luti in equum tuum Trojanum includas, ut  
me oppugnes; equidem, si eos pro tuis mi-  
nistris, & mancipiis habes, conquerar, & or-  
dini nostro, & jurisprudentiæ injuriam te fa-  
cere: neque id minùs molestè feram, quàm  
quòd me *Sinonem* etiam vocas, honoris (credo)  
causà; non enim alioqui tuos mihi titulos  
communicare velles. Sed vide, ne non planè  
uni tibi propria hæc laus sit, hic titulus, cùm  
jactes de tuo ludo, quod olim ISOCRATES de  
suo ex eo, tànquam ex equo Trojano, He-  
roes prodiisse. Certè cùm illud in scholâ nu-  
per legeretur:

*Arduus armatos mediis in mænibus adstans  
Fundit equus; victorque Sinon incendia miscet,  
Insultans &c. \**

Quidam nimiùm nasuti, & allegorici, colla-  
tis tuis stratagematibus, nescio quid de simili-  
tudine τῶν παραλλήλων \*\* ineptè fingere vo-  
luerunt.

Sed ad rem: adversùm me cum DUARENO  
conscium quandam conjungis. Quàm scitè  
si, quanta inter eos fuerit conjunctio, scias?  
Sed eum planè esse tui juris fortè putâsti, quia  
& Novioduneus sit, & contubernalis aliquan-

---

\* VIRGILIUS Aen. Lib. II. ¶. 328.

\*\* Parallelorum.

do fuerit tuus. Nam nunc Doctorem esse juris Pontificii oblisceris, & Apostatam esse, quod aliâs soles, clamitare non vis, quia eo uti in rem tuam velis. Evidem eum contra non vindicabo: sed quid tandem ex illo profers, quod in me torqueas? Disputationem nescio quam de successione in stirpes, aut in capita: fateor, pertinere ad jus suum; sed quid illa vel ad te, vel ad id agis? An, quia initio me jussisti respondere de apicibus juris, noluisti mihi deesse materiam? verum vereor, ne, si in eam disputationem ingrediar, tibi, quem vix puto delectari talibus mysteriis juris, valde molestus sim: quanquam in iis ego versari malim (ut mea sunt professione digniora) quam in aliis quisquiliis, quas tu mihi objicis, ut nunquam me extricem. Ergo quando in hoc pistrinum nunc impactus sum, etiam molendum mihi est.

Cæterum miror, non exhorruisse te, cum id, quod tuæ sacrosanctæ farragini assuis, haurires ex commentario, qui Episcopo quondam tuo inscriptus, atque consecratus est, & cuius author profitetur, sese esse in clientelâ illius, quem tantopere odisti, Antistitis. Ejusdem farinæ sunt, quod librarius tuus ex eodem fonte hausit fragmentum, in quo notantur mei de Constantini legibus, & de XII. Tabulis Commentarii. Næ tu mirabiles, & sagaces habes rerum omnium scrutatores, librorum-

brorumque omnium pervolutatores! Sed male fidei sunt haec mancipia tua, quae ut regant vanitatem nostri censoris, supprimunt postremam editionem mearum XII. Tabularum: \* quam qui conferunt cum illius notis post editis, vident, eum uno post anno multa castigare, quae ipse castigaram prius. Certè, quia id omnibus liquere putabam, non dignatus sum hactenus illi jejuno Magistro, qui discipulus antea meus fuit, respondere: tametsi gratias agere non nolle, quod ex suo codice manuscripto admoneat me quartundam CONSTANTINI Constitutionum, Inscriptionum, & Subscriptionum, de quibus nihil divinare alioqui potui. Vellem verò etiam rogare, ut me patiatur mea castigare; memineritque, non esse in mea postestate typographos, qui quotidie libros recudant.

Sed quid tandem ad te hæ λεπτολογία? \* Evidem cùm in hisce versor næniis, obliviscor, mihi rem esse tecum; & nescio, qui fieri potuerit, ut augusta, & sacrosancta tua Amplitudo se demittat ad istas curas tam humiles, angustas, abjectas. Me quidem tædet, pigetque, bonas horas tam male collocare: sed te recreat novus Rivalis suâ in me velifica-

B b 3 tione:

---

\* Tertiam, & Basileensem de Anno 1557. siquidem vivente BALDUINO noviorem secundam esse non constat.

\*\* Subtiles de minimis rebus disputationes.

tione: quæ tamen de inani tantum gloriola puerilis, & arida, & ridicula contentio est, indigna profecto, quam tu spectato tuo plausu accendas. Ille se nunc doctiorem eo esse, quem habuit aliquando Doctorem, vehementer contendit. Etsi id concedam, & præterea adjungam, vetus esse illud: πολλοὶ μαθηταὶ κρείττονες διδασκάλων, \* quid tibi indè accedit? mihi quid decedet? Per me quidem certè licet, ut jejuni tui Scribæ etiam in mustaceo laureolam quærant, si hunc esse putas fructum Evangelicæ mortificationis, quam doceas. Per me (iterum dico) licet, ut hoc vento se pascant, si nihil aliud habent, quo se satient hiantes: ego jam pridem satur sum istius tam putidæ fatuæque ambitionis.

Sed scire vis, quantum & fidei mereatur tuus conscius, & quantum in eo habeas præsidii? Obscro, manda alicui tuo, cui credere voles, ministro, ut hic legat, quam ille triduo, antequam efflaret suas illas contra me absentem glorias, publicè recitavit, & suâ manu consignatam in Germaniam misit de suo (ut dicebat) excellentissimo Præceptore, & de meis erga se, & Jurisprudentiam, & literas meritis orationem. Est penes me: sed, ne vivam, si per verecundiam possim has ineptias revolvere. Quid mea erga illum officia, benefi-

---

\* Multi discipuli sunt magistris meliores.

neficiáque frustra commemorem? Hoc tu facio, qui jam officiosus es, ut nunc homines ingratos, & perfidiosos etiam tibi applies.

Porrò, quasi multum intersit Reipubl. Christianæ, scripserim, an non scripserim *Commentarios in Institutiones JUSTINIANI*; \* non modò per eum, sed & per alterum, nominatum tamen testem, & censorem vehementer contendis, cui-dam BRECHTANO, Præceptorí quondam meo, acceptos ferri debere, qui sunt abs me editi. Sed quo Jure hi Leguleji sínè mandato allegant Jus alienum, atque etiam sínè probatione? Mirum profectò, si & Jurisconsultis, & Theologis placeat talis actio, tamque ἀμάρτυρος. \*\* Nam si ita licet agere, quid illis fiet? Clamat tuus catulus, & ringitur, quòd dixerim, iusta esse commentaria. Ubi tandem tales titulum adscripsi? Nam, quia diligentius mea, quam ego, legisse videtur, bonâ fide me monere debet. Evidem illis, ne rumpantur, remitto molestiam probationis; & te, quòd ita me exerceas, laudo; quia metuebas fortasse, ne me gloria commentationis nimium

Bb 4

infla-

---

\* Prodierunt Parisiis an. 1554. unà cum libris duobus in *Leges Romuli, & Leges XII. Tabularum*, quos LUDEWIGIUS cum Commentariis de *Legibus XII. Tabularum* inscīte confundit.

\*\* Carens testibus.

inflarer, efferréisque. Sed non erat necessaria  
hæc tua medicina, modestissime JOANNES.

Audio equidem, te tibi valde placere, &  
caudam jactare popello, quia in Sacras Literas  
commentarios BUCERI, & OECOLAMPADII inter-  
polaris, polieris, auxeris, atque etiam conver-  
teris in Linguam Gallicam, neque negamus,  
te propterea doctissimi, ingeniosissimi, elo-  
quentissimi hominis nomen retulisse, ac, si  
quod nostro præconio addere possemus, esses  
etiam magnus Apollo. Sed si tamen non ideo  
deceat (quod quidam olim ait) *pulmonem rup-  
ere ventis;* scito, nobis multò minus licere,  
propter inanem speciem quarundam Literarum  
Civilium concipere animos magnos. Et ve-  
rò iterum scito, nostræ vanitatis consciens, ni-  
hil nobis tale arrogatueros esse, etiam si rapsodi-  
as puerilium annotationum in JUSTINIANI Li-  
bellum liberaliter nobis relinquas: nam & me-  
liùs, quàm aut tu, aut tui, scimus, quàm il-  
lud totum sit nihil. Ergo, si vis esse alienum,  
facile etiam concedam.

Dicerem tamen, eos nimis esse iniquos,  
quos mihi subornas, cùm quidem, quidquid  
in iis commentariis reprehendunt, meum esse  
vohunt; reliquum volunt esse alterius. Sed in-  
tam magno volumine tam pauca notant, &  
castigant, ut asperiorem censuram requiram.  
Patientur ergo, me commentariis, abs me  
editis, extremam adhibere manum: ego sex-  
centos

centos præterea locos vel expungam, vel emendabo. Quod quidem respondeas, velim, meo nomine non modò conscientia nostro, sed & illi innominato, quem adjungis, mirificè triumphanti, quòd, nescio ubi, observaverit, me aliquando duos sui *Ciceronis* locos aut non satis intellexisse, aut mendosè allegâsse. Imò verò, ut vides, ferre non potest, ut aliquid discam, cùm etiam me accuseret, quia de Jure trium liberorum, & tergeminorum rectius ad Legem Papiam \* docuerim, quod alibi nondistinxeram. Oportet, mirabilem esse hunc censorem, qui reprehendit, quod est laudandum. Ecquò verò recidimus, si non licet castigare, quod antea temerè, aut perperam fortè scripsimus. Cùm aliquando scripsisses, *Pellam*, quæ est ad Jordanem, esse in Macedonia, error fuit plus quam puerilis; an, quia eum deinde correxisti, tibi insultabitur?

Porrò quid putidius esse potest, quam quòd is, quem mihi objicis, innominatus Pœdagogus, terribilis scilicet Orbilius, irascitur, me in meis de historiæ institutione προλεγομένοις \*\* potuisse planè definire, certeque notare τὸ λεπτὸν, \*\*\* cùm quæritur, quot sint anni ab Orbe condito? Evidem nescio, quo modo nunc

Bb 5 mihi

\* Vid. BALDUINI *Commentarii ad Leges civiles*  
an. 1730. recusi pug. 38.

\*\* Prolegomenis.

\*\*\* Deinceps.

mihi placere incipio, cùm audio tam famelicos  
canes aliud non habere, quod arrodant. Sed ne  
fortè mihi placeam, ignotus hic magister in  
universum contendit, si de Literis, Doctrinâ,  
Eruditione quæratur, mihi deesse omnia, natu-  
ram, artem, & exercitationem. Age, ut eum hoc  
labore levemus, istud ei quoque concedamus.  
Et quando nobis tandem quidquam arrogavi-  
mus? Interea hominem, si is est, quem sus-  
picor, admoneas, velim (nam ille tibi meret)  
quandocunque in ejus commentarios inqui-  
rere mihi otium erit (non enim haec tenus tan-  
tum mihi fuit otii, quo vellem abuti) paulò  
plura me notaturum esse, quām notet in meis.  
Nam &, ne longè abeam, in eâ ipsâ Epistolâ,  
quā meam ἀνιστορησίαν \* fugillare se gloriatur,  
suāmque memoriam Antiquitatis venditat, vi-  
de, quantus Vir sit, cùm suum *Ecebolium*,  
quem ait vixisse sub VALENTINIANO, memora-  
ri ab EUSEBIO scribit, oblitus, EUSEBIUM mor-  
tuum fuisse, antequam auditum fuerit VALEN-  
TINIANI nomen. Credo, cùm hic tuus quon-  
dam Hypodidasculus istic Grammaticam doce-  
ret, sæpe pueros cæcidit, minoris solæcismi  
causâ: nunc à pueris vicissim cæsus, vapulet  
gloriosus hic Doctor; nisi si alio flagrum dig-  
nūm esse judices. Verentur tamen non nulli,  
ne illi sis æquior, quia sæpe te quoque fallat  
Chronographia: nam & in tuis toties castiga-  
tis

---

\* Historiarum imperitiam.

tis *Institutionibus* etiamnum doces, *Sabellium* fuisse post *Arium*, cum tamen constet, vixisse ante ipsum etiam *PAULUM SOMOSATENUM: Photium*, *Sabellianæ Hæreseos instauratorem* in Synodo Syrmiensi, post *Arium* surrexisse, rectius dixisses.

Redeo ad eum, quem mihi das, magistrum & castigatorem, petoque iterum, ut, interea dum gratiam referam, eum moneas, cum suas ad te Verrinas recudet, ut saltem *Nannio* satisfaciat, si plagium aliis vult objicere: discatque tantus juris doctor, aliud esse jus *Prætorium*, aliud jus *prædicatorium*; ne illius imperitum fuisse nostrum *SCÆVOLAM* iterum scribat, quia de hoc respondere noluerit.

Discat prius, quam de aliis triumphet, hanc conditionem, si in capitolium ascenderit, esse promiscuam, atque arbitriam, ne iterum (quod pueri quoque nostri rident) nos doceat, pertinere ad currus, & quadrigas triumphantium.

Discat tam capitalis interpres verborum juris, qui nobis pueris aliquando ignotam fuisse gloriatur nescio quam Ciceronianam capitatis demptionem, discat, inquam, capitatem \* in libris Legum longè aliud esse, quam quod nos docet in suo mirifico Lexico: & cum

---

\* Vid. SPANHEMIUS in Orbe Romano Cap. X. p. m. 314. & CALVINUS in Lex. Jurid. **voc.** Capitatio.

cùm id recudet, discat ex BRISSONIO, quot fo-  
lœcimos commiserit.

Si de Ecclesiâ etiam agere vult, respon-  
deat RUFFO. Quid me lacepsit latitans? Et  
quid aliis molestus est, ut, quām se putat esse  
doctissimum, tam probet, me non esse eru-  
ditissimum? Vix quisquam est, qui mihi,  
quām ego, tribuat minūs: neque poterit suis  
calumniis tantum mihi detrahere, quantum  
ego mēa sponte mihi detraho, & conscientiā  
mēa minuo. Itaque necesse non est, ut mihi  
Judicem det CUIJACIUM; tametsi hunc potissi-  
mūm appellare debeam, qui superioribus die-  
bus tam amicis, atque honorificis ad me lite-  
ris, in suum Collegium ut redire vellem, ro-  
gavit, detulitque ultrò, plūs quām deberi mi-  
hi putem. Interea quid ille de isto innomina-  
to censore, & ejus præceptore fentiat, con-  
junctim indicavit in suis de *dolo malo com-  
mentariis*.

Denique noster magister latinitatis priūs,  
quām de meis scriptionibus garriat, suarum  
oblitus, respondeat STURMIO, & aliis, à qui-  
bus accusatus est, quodd suo nomine ediderit  
epistolam, abs STURMIO scriptam, eāmque  
Institutionibus præfixam, tanquam suam ven-  
diderit DUCI SAXONIÆ. Ut autem suam  
causam agat, potiūs quām alienam; moneas  
eum, necesse non esse, ut beneficiariis, vel  
Cano-

Canoniciis Libri Duarenii iterum patrocinetur: nam, si ita vis, lubenter concedo, esse optimos maximos: neque quidquam est, quod facere lubentius debeam, ut te percellam. Tibi nunc quomodo cautum sit, iterum videris. Sed oportet istius tui patroni incredibilem esse, non jam dicam, impudentiam, quia latitat, sed nequitiam: cum quidem, posteaquam edito libello de *sacerdotiis adversus Ruffum pro Molineo* profudit illos Beneficiarios Commerrios, nunc eos se adorare fingat.

Non minùs indignum est, quod novus hic Ecebolius Apostatae Juliani, de Apostasiâ nefcio quid nugatur: scilicet Religionem nos docebit elegans magister Ciceronianæ *ad Deotnatos*: \* saltem tantus Ciceronicola meminisset, nos illud CICERONIS \*\* de Clodio concionatore etiam legisse: *De religionibus sacris, & ceremoniis est concionatus, Patres conscripti, Clodius: P., inquam, Clodius, sacra, & Religiones negligi, violari, pollui quæstus est.* Non mirum, si hoc vobis ridiculum videtur; etiam suæ concio risit hominem.

Sed noster subtilior est: etiam de mysterio Cænæ Dominicæ disputat, & me cum suâ Gallicâ, ut vocat, Ecclesiâ non idem sentire narrat,

\* Ciceroniani Atheisni.

\*\* In *Orat. in P. C. Clodium*.

narrat, qui ab eâ, propter Clodianum facinus  
in Germaniâ excommunicatus, aliam, quæ-  
cunque illi fortasse patuit, mensam occuparit.  
Vis scire, quanti faciat totum istud mysterium  
tuus Mystagogus? \* Audi STURMIUM, cui non  
potes non credere. Is ad illum tuum filiolum,  
nescio cujus criminis reum, ita scripsit: *Ad*  
*me cucurristi, excusans factum, jurans, atque*  
*testificans, si verum istud sit, quod ad me rela-*  
*tum esset: fuisse te hodie in cœtu Ecclesiæ, parti-*  
*cipasse de Cœnâ Dominicâ, rogare te Deum, ut,*  
*quod eâ concione in Cœnâ accepisses, id in Dia-*  
*bolum, & Satanam convertatur, si sit ve-*  
*rum. Quodnam jusjurandum gravius esse possit,*  
*quam istud sit, devovere se Diabolo, & sa-*  
*tanæ, si sit verum, quod erat verissimum? An*  
*tu istud negare potest &c.? Hæc de illo STUR-*  
*MIU. Cùm voles, mi JOANNES, agere mecum*  
de isto mysterio, per alium agito. An tuæ  
sententiæ sim, tunc scies; & meam esse audies  
eam, quæ & tale, tantumque mysterium exi-  
naniri non patitur, & magni facit perpetuam  
veteris Ecclesiæ sententiam. Evidem nolo  
de mysteriis disputare; lex enim id prohibet:  
& quò erumpant tuæ de iis disputationes in-  
finitæ, video. Sed profectò doleo, homines  
profanos manibus illotis tractare talia myste-  
ria, & te, eo nomine in totâ etiam Germaniâ  
reum, potius ut extrices, moneo.

Jam

---

\* Sacris initiatus.

Jam si redeundum est ad eum, cuius male-dicam, & famosam de me epistolam edis: imprimis quæro, quo vel jure, vel more, vel exemplo tu per ignotum aliquem, & in-nominatum nugatorem traducas aliorum vi-tam? Quid tandem fiet, si tales de aliis fabu-las eo modo spargere liceat? Quis est, qui tutus domi suæ sit? Et qualia, putas, de te, & tuis familiaribus verè narrari poterunt? DEUS bone! quales (ut vocant, Legendas relin-quet posteritati secretarius, qui & tua, & tuæ factio-nis acta omnia, tum publica, tum pri-vata describet? Ego vitam tuam non descri-bam (non enim id est pudoris mei) sed eam familiari, & collegæ tuo Zebedæo describen-dam relinqu, si id agendum sit: meam DEUS judicabit, & fideliores, quâm tui sint, testes for-tasse narrabunt. Saltem aliud mihi subornas-ses præconem, quâm eum, cuius mores Stur-mianus quoque stylus justissimè jam confixit. Saltem monuisses, mendacem debere esse me-morem; ac, ne in limine palam impingeret, néve titubaret, cavisses. Non est dignus, cuius fabulam refellam: sed ut istinc vapulet, ver-bum unum addam.

Ut, quantum fidei mereatur familiaris iste, quem mihi subornâsti, fabulator, notum sit, valde scilicet rhetoricè orditur suam narratio-nem ab infuso mendacio, & novo crimine. Principio ait, me Argentorato ivisse Genevam.

Scio,

Scio, istos hypocritas magni criminis loco du-  
cere, si quis rectâ non properet ad eorum Sy-  
nagogam metropolitanam, vel alibi priùs,  
quàm in illâ suâ (ut vocat) Hierapolî, quærat,  
quod ipsi venditant. Sed quale sit hoc crimen,  
alii æstiment. Ego nunc tantùm dicam, ni-  
mis impudentem esse hunc nugatorem, qui  
fingit, quod, qualemque sit illud, est falsis-  
simum; cùm quidem Argentorato nunquam  
Genevam sim profectus, neque unquam tale  
iter triverim: quod si ingressus fuisset, equi-  
dem præmonitus substituisse in medio itinere,  
neque imprudens viator incidiisse in istos in-  
sidiatores, qui incautum circumvenerunt. Utinam;  
inquam, Rhenum priùs, quàm lacum  
Lemanum salutâsssem! Tempestivè ab illo di-  
dicissem (quod postea, sed serò didici) quàm  
mihi ab hoc esset cavendum: neque ad Sere-  
nicos istorum scopulos impegiisse adolescens,  
rerum imperitus.

Nunc, ne iterum meo naufragio insultet  
importunus Pirata, de suæ scilicet civilitatis  
honore valde sollicitus; quid aliud illi respon-  
dere possum, quàm me, nescio quo errore  
viæ, contrarium iter secutum esse? Obtestor  
te, quisquis hæc legis, mihi ut veniam des,  
si talibus te næniis remorer. Fateor, quæ  
nunc obiter dico, non esse digna, quæ alios  
obtundant: sed in rebus etiam levissimis, &  
propè nihil, vult Deus conspici istorum (au-  
debo

debo semel dicere) nebulorum vertiginem, quos ille *mendacii Pater* ita circumagit, nulla ut sint tam crassa, tam palpabilia, tam putida mendaciorum portenta, quæ non confidentissimè effutiant. I nunc, ô misera Galliâ! & in rebus magnis fidem adhibeto talibus (cur non dicam?) impostoribus.

Quid reliqua, quæ ejusdem farinæ sunt, ægri nostri monitoris sive somnia, sive deliria, refellerem? Fac potius, ô DEUS, fac, ut magnis in rebus, & periculo maximo excæcati populi aliquando sentiant, & videant, quales sequantur signiferos, cum in præstigiatorum se dant sectam. Misereat te, ô DEUS! multorum, qui te animo profectò bono, & religioso quærunt, sicuti abs te audierunt, *hanc esse vitam æternam, ut te cognoscant, & eum, quem misisti, JESUM CHRISTUM.*\* Ad te itaque, & CHRISTUM revoca palantes, & ita contine, ut hâc tuâ luce contenti consistant; neque præcipites longius, & veluti præter casam excurrant, secuti cœcos Duces, & vafros nescio, quos ἀγύρτας, \*\* qui pietatem initio simulant, & de te loquuntur, ut credulam multitudinem longius abducant.

## Oratio

\* JOAN. Cap. 17. v. 3.

\*\* Congregatores populorum.

Nescio, quî fiat, ut toties, præter meum institutum divertat in has παρενθάσεις. \* oratio mea. Sed quorsum redeam ad epistolam nostri monitoris, quam nondum potui integrum perlegere? Nam manca, & mutila est in nundinis distracta; proptereaque & imperfectam nunc habebit responsonem. Mirabile verò genus epistolæ, quæ ad me missa nunquam est, & quæ ne tum quidem, cùm abs suo Authore editur, subscripta est; obsecro, quid tandem in suis castris trepidat ejus scriptor, olim togatæ, nunc armatæ militiæ satelles? Scilicet disputans de capitis diminutione, capiti suo, suorum scelerum conscius, metuit, si deprehendatur.

Ergo laudo consulti, cautique hominis, non dico metum, sed cautionem; tametsi se jam dissimulet esse jurisconsultum, qui JUSTINIANUM non suum, sed meum appellat; cùm tamen alias prædicet, se esse jurisconsultum clarissimum, & unum JUSTINIANI interpretem, atque adeò castigatorem, qui solus corniculum oculos configat. Sed ne errem, obsecro, mi JOANNES, dicio mihi bonâ fide, an is sit, quem suspicor: vel si divinare potuero, ne nega. Nónne ille est, qui, quia sive Turcici, sive Ottomannici, Ismaelitici gene-

---

\* Digressiones à proposito.

generis, & nominis est, Silesium se esse finxit, cùm in Germaniâ negaret, se esse Gal-  
lum, ut in Aulam Austriacam irreperet? Nónne ille est, qui, cùm tuam ecclesiam  
olim fugeret, & scholam, in quâ tamen do-  
cuit annis aliquot Grammaticam, depositâ Ju-  
risconsulti personâ, venit in Germaniam,  
tuis ad *Sturmium* literis instructus, quæ *Stur-  
mum* fecerunt? Nónne ille est, cujus, ut  
nunc dicebam, vitam perfidiæ, nequitiæ,  
sceleris, & omnium maleficiorum plenam ip-  
se *Sturmius* nuper descripsit; ille, inquam,  
*Sturmius*, cujus, credo, testimonium repu-  
diare non auderes, præsertim cùm ejus testi-  
monio utaris, ubi te, librósque tuos laudat?  
Nónne ille est magnus ardelio, qui, cùm in  
Germaniâ Principes miris modis est ludifica-  
tus, huc, & illuc discurrens, modò in Galliâ  
tumultuatur, modò ad Rheni ripas adversùs  
Regem suum milites cogit? Nónne ille est,  
quem *Sturmius* (nám alio non est opus teste)  
ostendit, etiam Galliæ Principibus plusquam  
proditoriè maledicere, cujúsque linguâ nul-  
lum beneficium magis beneficum esse, ait, &  
probat? Nónne ille est, qui superioribus an-  
nis in Germaniâ pinxit sive suum, sive tuum  
tumultum Ambrosianum, & Tigrin peperit,  
& ejus generis formulas quotidie concipit no-  
vus magister libellorum non (ut jactabat) sup-  
plicum, sed famosorum? Denique nónne est

ille tenebrio, qui ad me aliquando scripsit  
 $\sigma\kappa\sigma\tau\iota\varsigma\epsilon\sigma\eta\ \dot{\nu}\ \tau\hat{\omega}\ \nu\bar{v}\nu\ \chi\rho\eta\varsigma?$  \* Et nunquam pu-  
 debit te, tales in sinu tuo fovere viperas, ta-  
 les habere socios, tales advocare patronos?  
 Annon tibi satis, supérque sufficit veneni,  
 nisi si virus ex talium serpentum ore fugas,  
 quod deinde vomas? Scilicet tenes dirum il-  
 lud, vetusque:  $\ddot{\sigma}\phi\iota\varsigma\ \pi\alpha\hat{\rho}\ \dot{\epsilon}\chi\bar{d}\nu\eta\varsigma\ \varphi\acute{a}\mu\alpha\kappa\eta\varsigma$   
 $\dot{\delta}\alpha\dot{\nu}\epsilon\dot{\iota}\varsigma\epsilon\tau\alpha\iota.$  \*\* Imò verò quia tales mihi in-  
 festi sunt, minitando insultas, totque mihi  
 esse inimicos exprobras, quot tibi amicos esse  
 jactas. O Tite, amor, & deliciæ humani  
 generis! quid respondebo? Quidam olim,  
 cùm neminem, qui invidet, habere se ad-  
 versarium audiret, exclamavit, nihil ergo se  
 gessisse præclari. Ego nihil in me esse video,  
 cui invidere quisquam possit; multa verò,  
 quorum misereat omnes.

Sed cùm illos, quos narras, inimicos mi-  
 hi esse gloriaris, quid aliud, quam ingratis,  
 & perfidiosis hominibus patrocinaris? *Et bene*  
*apud memores veteris stat gratia facti.* Ego de-  
 iis, ubi ubi potui, bene meritus sum; alios  
 docui, alios alui: quod si negant, eorum Syn-  
 graphis, atque Chirographis inficiantes debi-  
 debi-

\* Tenebræ offundendæ sunt in præsenti tem-  
 pore.

\*\* Serpens à Viperâ venenum cum fœnore  
 mutuaturs.

o scripsit  
quam pu-  
peras, ta-  
patronos?  
it veneni,  
ore fugas,  
dirum il-  
~~φάρμακον~~  
es mihi in-  
tque mihi  
imicos esse  
æ humani  
am olim,  
bere se ad-  
nil ergo se  
esse video,  
ulta verò,

imicos mi-  
m ingratis,  
ris? Et bene  
ti. Ego de-  
sum; alios  
eorum Syn-  
iantes debi-  
debi-  
rasenti tem-  
cum fœnore

debitores convincam: vel verbo, vel re me  
unquam iis nocuisse, nunquam probabis.  
Adversus me verò, meumque caput nihil non  
eos, jam tum etiam, cùm in sinu meo essent,  
sceleratè tentasse, negare non potes. En, cur  
tales viperas laudare, mihiique cum iis insul-  
tare debeas, vir gratosissime; atque etiam,  
ut oppressus respirare non possim, tales ad-  
versarios, simul impressionem facientes, mihi  
objicias; &, quidquid aliquando tres, aut qua-  
tuor malevoli contra me effutierunt, conver-  
ras; tanquam collecto in desperatione fascicu-  
lo, quo me obruas, sed eâ in re quid aliud,  
quàm tuam rursus miseriam, atque trepidationem prodis? Quid, si tali exemplo uterer,  
& cogerem, quidquid ab aliis scriptum melio-  
ri jure adversus te est, quot, putas, plaustra  
onerarem? Et si eos, quos Papæ servire ais,  
missos facerem, tum vel una te Saxoniæ Mag-  
deburga obrueret. Quanquàm satìs haberes  
negotii, si hostibus relictis, domesticum tibi  
censorem objicerem, & ea tantùm judicarem,  
quæ tuus sive rivalis, sive contubernialis clàm  
arrodit, atque reprehendit in tuis Evangelicis  
Commentariis.

Scio, tuam ferociam infolescere, qua dicere soleas, te haec tenus in Galliâ rem non ha-  
buisse, nisi cum adversariis insultisis, atque ineptis, qui etiam bonam causam male agendo,

&, si nullus eos refellat, perderent. Sed eras, iterumque erras, si neminem proterea hic esse putas, qui tibi paulò acriùs possit, ausítque occurrere: Des libertatem fandi, flatusque remittas. Quia jam detecta tua consilia sunt, brevi senties, fulmineam superesse legionem doctissimorum, gravissimorum, religiosissimorum hominum, qui se tuis & clamoribus, & conatibus acerrimè opponent. Imò verò etsi ille ordo, cuius imprimis sunt hæ partes, cessaret, profiteor, ex ordine, & Collegio Jurisperitorum, prodituros aliquos fortes, & bonos bonæ causæ patronos. Eras itaque, si quia degeneres ex ordine aliquos habes, qui & tuis cupiditatibus serviliter obsequuntur, & abs tuo nutu abjectè pendent, existimes omnibus erectam esse mentem generosam; aut tam esse omnes suæ disciplinæ oblitos, ut nullus eorum meminerit, jurisprudentiam esse non minùs divinarum, quam humanarum rerum notitiam.

Quid si profiterer, atque policerer, neque tam efferam nunc esse jurisprudentiam, neque tam profanum forum, quin aliquos aliquando proferre rursus possit TERTULLIANOS, MINUCIOS, AMBROSIOS, NECTARIOS, CHRYSOSTOMOS? Vis etiam, ut jaētare ausim, quantum in Collegio Togato præsidii mihi adversùs te esse confidam, si me pessundare non

non desinas, & tibi, si pergas, quantum ab eo sit metuendum? Ex eo ordine prodibunt oratores, qui, si non de tuis modò, sed & tuorum, atque adeò ejus ardelionis, quem sìne nomine nunc mihi opposuisti, facinoribus dicendum sit, muti profectò non erunt; & quia non nisi Ciceronianos ille amat, fortasse etiam hinc ordientur: *Quousque tandem abutere patientiâ nostrâ, Catilina?* *Quamdiu nos furor iste tuus eludet?* *Quem ad finem se se effrænata jactabit audacia &c.*? \* Neque tamen puerilis erit declamatio; sed erit acerrima accusatio, quam vel sola actorum unius, vel alterius anni, quæ in Judicium publicum vocabuntur, recitatio faciet horribilem: tametsi sciam posse videri propè ludicra, ubi reus armatus iudices ipsos terret, & vi Jus opugnaturus. Erunt tamen etiam cum Oratoribus illis Jurisconsulti, qui publicorum iudiciorum Leges suggesterent non minùs terribiles, & quidem à primâ, quæ Majestatis est, cujusque rursus specie primâ, quæ est perduellionis, exorsi, cùm illam & antiquissimam, & Regiam, quam horrendi carminis esse LIVIUS ait, objicient; tum verò reliquas, quæ multæ sunt, ordine suo cumulabunt. Dicerem, magnum earum fore terrorem: sed miseræ Leges, etsi inter arma non fileant, quid nunc præter inanem vocem habent?

Cc 4

Dice-

\* in Orat. I. in Catilin.

Sed er-  
protereā  
s possit,  
andi, fla-  
tua con-  
superesse  
rum, re-  
uis & cla-  
ponent.  
rimis sunt  
ordine, &  
os aliquos  
nos. Er-  
ne aliquos  
viliter ob-  
è pendent,  
uentem ge-  
disciplinæ  
erit, juris-  
um, quām

icerer, ne-  
rudentiam,  
uin aliquos  
TERTULLIA-  
NECTARIOS,  
Etare ausim,  
ræsidii mihi  
e pessundare  
non

Dicebant olim homines improbi, *Virtutem esse verba, ut lucum \* ligna.* De Legibus idem nunc impunè dici, quis non doleat? Legionibus verò nihil, nisi Leges opponi, quis non rideat? sed est tamen aliqua, sive vi, veritatis, & Juris victoria: neque si quis armis suis Leges omnes nostras perfregerit, propterea victos fuisse nos integra posteritas, quæ de causâ, & re recte judicabit, fatebitur. Hâc ergo spe Legum fulmina contorquebimus adversùs vim armatam, si saepius nos provokes.

Fecisti profectò & imperitè, & imprudenter, quòd in me declamans hoc tempore, & hoc statu rerum, insusurrasti nescio quid de proditoribus, & transfugis. Nam cùm hi inter perduelles numerentur; perduelles autem esse dicantur, qui suæ Patriæ, & Reipubl. hostes sunt; facis, ut, de illis quærendo, nescio quid de te, tuisque veniat multis in mentem, quod Religionem mentiendo nunquam aut dilues, aut delebis: & ut, quod amplissimus Senatus hisce diebus pronuntiavit de hoc hostium, sive perduellum, sive rebelium

---

\* Lucas cæduus non est, quin potius manus consitus, religiosusque, atque alicui Deo, vel hominis alicujus cineribus consecratus. BRECHÆUS ad L. 30. princ. de Verb. Sign. CALVINUS in Lex. Jurid. voc. Luci.

Virtute Legidolet? opponi, sinè vi, quis arfregerit, psteritas, atebitur. uebimus rovoces.

prudencipore, & quid dcum hi es autem Reipubl. aerendo, nultis in do nunt, quod nuntiavit ve rebellium

ius manu el hominis  
ÆUS ad JS in Lex.

lium genere, memoriâ repetamus; vix ut tuam Majestatem, quam (ut est in antiquâ fœderum formulâ) comiter ipse quoque conservare vellem, in tali reatu tueri semper possis. Jam verò si eam imminuant illi, quos irritas, quid, putas, facient, si etiam fiant Theologi, quales se triduo fore, si stomachum iis moveas, quidam profiteri audent? Nam quamvis de ingenii tui laude nihil detraxerint (ingenuitatis enim est, agnoscere, quid in unoquoque laudandum sit) tamen in ordinem te redigere volent, quia te esse hominem, qui errare possit, sciant; & in illis tuis commentariis propter quos tu tam valde rumes, reliquosque omnes Scriptores tam contumeliosè despicias, id notare possint; ex quo liqueat, non esse te, quod de te & ipse existimas, & nos existimare vis. Nam, et si non inquirant subtilius in singula, & oblatis tantum, paratisque subsidiis utantur, poterunt in tuis Bibliorum Interpretationibus, quas à primo ad ultimum usque caput percurrent, factâ collatione, observare, quid reprehendi possit, vel si nobiliores solum locos excutiant.

Ut (exempli gratiâ) in èa, quam principio Libri primi Mosaici de mulieris semine, quod conteret caput serpentis, adfers, interpretatione novâ, an nihil statim reperient, quod reprehendant ex omnium aliorum, etiam

veterum Interpretum consensu? Denique cùm ad finem Bibliorum pervenerint, & insignem illum locum PETRI de eo, qui prædicavit Spiritibus ἐν φυλακῇ \* &c. volvent, annon minus novam tuam expositionem respuere non poterunt? quam ne ille, tuus alioqui Subscriptor, concoquere potuit, sibique displicere minimè dissimulavit; atque id quidem in quaestione de statu defunctorum, hodie controversâ. Quid? memini etiam, quid in disputatione aliâ generis ejusdem, colligi velis ex illo Actorum Apostoloc. loco, Δαβὶð μὲν γὰρ ἴδιᾳ γενεᾷ ὑπηρέτησας. \*\* &c. Sed rursus totum illud tuum ἐπιχείρημα \*\*\* unico verbo dissimulanter evertit idem ille alioqui tuus ὁμόψηφος. \*\*\*\* Sexcenta sunt ejus generis, quæ non ego, qui ista non tracto, sed alias aliquis notaverit; ex quibus intelligas, non omnia verba, quæ fundis, esse oracula.

Nescio, an tuā interesse putas, eo te modo admoneri; sed si ille domesticus censor alios

\* His, qui in carcer erant, Spiritibus. I. Petr.  
C. 3. v. 19.

\*\* David in suā generatione cùm administrasset.  
Act. C. 13. v. 36.

\*\*\* Argumentum, quo aliquid probaturi sumus.  
\*\*\*\* Annumeratus in ferendā sententiā.

alios laceffendo tandem excitavit unum Castalianem tuum, à quo, quod minimè expectabat, de suis interpretationibus audivit; sperare debes, non defuturum tibi aliquem monitorē. Neque tamen tanti mihi fuisset, te, & alios per me intelligere id, quod tu & in aliorum scriptis facis, & in meis fieri curāsti, posse & in tuis fieri, nisi si jam ea fuisset apud multos Authoritas tua, ut, qui contra te sentiat, nihil sentire, &, qui respondere irato tibi ausit, nullus esse diceretur; & ejus Authoritatis exemplum tale, non in Republ. minūs, quam Ecclesiā, esset intolerabile, minimeque ferendum sit.

Meus verò in te amor, qui, ut vides, non solum me verbosum facit, sed & reddit sollicitum (nam & *res est solliciti plena timoris amor*) efficit, ut, cùm prospiciam, quæ te maneat dimicatio, nisi quiescas, iterumque repetens prioris Responsionis admonitionem, ingeminem istud: si te contineas, feceris sapienter. Nam & alii, quid Religio sit, sciunt: quod enim, præteritis aliis, unum me petere vis, alios etiam magis irritat.

Ergo, ut tibi tandem valedicam, JOANNES CALVINE, Vir clarissime, te obtestor, & per omnia quæ te movere possunt, sacra obtestor, ut finem aliquem facias laceffendi, atque male-

maledicendi & Religionis, cuius omnem sensum delent infausta hæc certamina; quāmque non in solâ scientiâ hærere, sed in bonâ conscientiâ consistere, & sinè charitate nullam esse, sæpe etiam monuisti, rationem habeas: nominisque Christiani, cui sempiternam maculam inurunt hæc concertationes, te misereat. Quo in statu nunc res sint, quâ in perturbatione, & confusione, non ignoras: ecquòruant omnia, vides. Et si funestissimo bello non arderent omnia; tamen in animis flamas odiorum accendunt hæc classica quæ Religionem, quâ nihil tenerius est, infringunt, & perturbant: sinè Religionis autem sensu quænam erit tua, quantumvis acuta sit, Theologia?

Legisti fortasse, cuinam Hæretico THEODORETUS olim exprobaverit, factam ab eo esse *τεχνολογίαν*: \* sed si ex eâ efficias artem mentiendi, maledicendi, atque tumultuandi; quo eam (putas) nomine alii appellabunt? Ex fructibus autem si de scholâ tuâ judicetur, qualem (existimas) Philosophiam esse multidicent? Vetus, & nimiùm vera est illa CICERONIS \*\* querimonia: *Quotusquisque Philosopherum invenitur, qui sit ita moratus, ita animo,*

---

\* Oratio artificiosa.

\*\* Quæstion. Tuscul. Lib. II.

mo, & vitâ constitutus, ut ratio postulat? Qui disciplinam suam, non ostentationem scientiæ, sed legem vitæ putet? Qui obtemperet ipse sibi, & decretis suis pareat? Videre licet alios tantâ levitate, & jactatione, iis ut fuerit non didicisse inelius: alios pecuniae cupidos, gloriæ non nulos: multos libidinum servos, ut cum eorum vitâ mirabiliter pugnet oratio: quod quidem mihi videtur esse turpissimum &c. Hæc ille. Non objiciam tibi odiosius hanc hominis & Romani, & Ethnici querelam. Sed quia precandi finem facere non possum, iterum te obtestabor, ut saltem Apostoli ad suos Galatas præcepta quædam, quæ aliis saepe commendasti, ipse audias, & ab eo saltem repetas versiculo: εἰ δὲ ἀλλήλας δάνετε, καὶ κατεσθίετε &c. \* Denique ejusdem Apostoli concionem ad Ephesios conjungas, & ad te, tuosque nominatim scriptam esse cogites: cùmque verba non das, sed facis, imprimis illi pareas; meminerisque, Theologiam, quæ dicitur, alioqui esse vix posse. Apostoli verba, quæ tuo deinceps catechismo adscribas, sunt hæc: Πᾶς λόγος σαπρὸς ἐκ τῆς σόματος ὑμῶν μὴ ἐκπορεύεσθω. ἀλλὰ ἐι τις ἀγαθὸς πρὸς ὄικοδομὴν τῆς χρείας, ἵνα δῷ χάριν τοῖς ἀνέγγοι.

---

\* C. 5. ¶ 5.: Quòd si invicem mordetis, & comeditis.

ἀπέγγοι. Καὶ μὴ λυπεῖτε τὸ πνεῦμα τὸ ἅγιον  
τῷ Θεῷ, ἐν ᾧ ἐσφραγίσθητε εἰς ἡμέραν ἀπο-  
λυτρώσεως. Πᾶσα πικρία, καὶ θυμός, καὶ  
ὀργὴ, καὶ κραυγὴ, καὶ βλασφημία ἀρθήτω  
ἀφ' ὑμῶν, σὺν πάσῃ κακίᾳ. Γίνεσθε δὲ εἰς  
ἄλληλας χεισοὶ, ἔυσπλαγχνοι, χαριζόμενοι  
ἑαυτοῖς, καθὼς καὶ χεισὸς ἐχαρίσατο ἡμῖν. \*

\* C. 4. v. 29.: Omnis sermo malus ex ore  
vestro non procedat: sed si quis bonus ad ædi-  
ficationem fidei, ut det gratiam audientibus.  
v. 30. Et nolite contristare Spiritum sanctum  
Dei, in quo signati estis in die redemptio-  
nis. v. 31. Omnis amaritudo, & ira, &  
indignatio, & clamor, & blasphemia tolla-  
tur à vobis cum omni malitia. Estote autem  
invicem benigni, misericordes, donantes in-  
vicem, sicut & Deus in Christo donavit nobis.

F I N I S.



## Errata corrigē.

Pag. 22. lin. 4. à fine: *conspicere*, lege, *conspue*re.

Pag. 34. lin. 17.: *babens*, lege, *babeas*.

Pag. 70. lin. 13.: *succensurietur*, lege, *succe-*  
*nrietur*.

Pag. 87. lin. ult.: *tuis*, lege, *tuis*.

Pag. 88. lin. 16.: *post reliquiis*, adde, *recupera-*  
*res*.

Pag. 113. lin. 11.: *narrato*, lege, *narrat*.

Pag. 150. lin. 13.: *exeris*, lege, *exerit*.

Pag. 159. lin. 6. à fine: *genece*, lege, *genere*.

Pag. 162. lin. 9.: *itiere*, lege, *itinere*.

Pag. 166. lin. 16.: *alei*, lege, *alii*.

Pag. 197. lin. 13.: *Theofiano*, lege, *Theodosiano*.

pag. 210. lin. 12.: *non modò*, lege, *uon modò non*.

Pag. 217. lin. 16.: *sibi labit*, lege, *sibilabit*.

Pag. 240. lin. 19.: *honoris*, lege, *hominis*.

Pag. 252. lin. 2.: *ulli*, lege, *ulla*.

Pag. 267. à fine lin. 7.: *io*, lege, *in*.

Pag. 282. lin. 11.: *tristissimas*, lege, *tristissimam*.

Pag. 288. lin. 5.: *disturbavit*, lege, *disturbabit*.

Pag. 305. lin. 8.: *arianarum*, lege, *arcnarum*.

Pag. 306. lin. 5.: ferabit, lege, fecabit.

ib. lin. 6. deleatur si.

Pag. 307. lin. 2.: suis, lege, scis.

Pag. 324. lin. 13.: affectus, lege, affectes.

Pag. 328. lin. 3. à fine: agetur, lege, ageretur.

Pag. 338. lin. 17.: Antistites, lege, Antistitibus.

Pag. 343. lin. 4.: odoris, lege, oderis.

Pap. 349. lin. 4. à fine: ceremoniam, lege, ceremoniarum.

Pag. 358. lin. 5.: audimus, lege, audivimus.

Pag. 368. lin. 15.: nobis, lege, nolis.

ib. lin. 20.: etiam, lege, etiam de.

ib. lin. 22.: te, legē, de.

Pag. 370. lib. 12.: quod, lege, quot.

Pag. 372. lin. 7. à fine: degeres lege, degeneres.

Pag. 376. lin. 18.: ingenium, lege, ingenuum.

Pag. 380. lin. 17.: reliquarum, lege, reliquiarum.

Pag. 386. lin. 5.: Constantium, lege, Constantinum.

Pag. 394. lin. 4. à fine: flagrum, lege, flagro.

Pag. 397. lin. 1.: libri, lege, libris.



